8061

EPITOME

HISTORIÆ

Societatis Jesu.

IV.

BIBLIOTHECA PATRUM S. J.
SAN JOSE

EPITOME

HISTORIÆ

SOCIETATIS JESU,

AUCTORE

JOSEPHO JUVENCIO,

EJUSDEM SOCIETATIS SACERDOTE.

Tomus Quartus

Ab anno Christi MDCIII ad annum MDCXVI.



FATHERS COLLEGE
ALMA
LIBRARY
Alma, California

GANDAVI,
E prelo Vid. J. Poelman-De Pape, typog. Episcopatus.
1853.

ALMA COLLEGE
660.9
LIBRARY
T98
Alma, California

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/epitomehistoie0004jose

EPITOMES HISTORIÆ

SOCIETATIS JESU.

Libri Tertii prosecutio.

BIBLIOTHECA PATRUM S. J. SAN JOSE

Annus Christi 1603 : Societatis 64.

Quod Clemens Pontifex, quod Galli omnes, patriæ religionisque studiosi, optabant, ut Societas nostra Lutetiam, unde anno MDXCV pulsa fuerat, et in alias aliquot urbes revocaretur, hoc annus præsens dedit. Dolebat Summus Pontifex Galliam hæresi Calviniana laborantem, necessario si unquam alias orbatam præsidio; præterea in sedis Apostolicæ dedecus redundare non immerito arbitrabatur illorum exilium, qui multorum invidia et odia sustinebant, eo nomine quia Romanæ sedis et Fidei defensores existimabantur. Pertinere quoque ad pietatem Henrici IV censebat, ut qui Fidem, et partes Catholicorum palam amplexus esset, sui ad Ecclesiam sinceri reditus documentum, revocanda Societate, daret. Itaque cum ad eum legasset anno MDXCVI Alexan-

Societas Jesu Lutetiam revocata.

drum Cardinalem Mediceum ut Galliæ cum Hispania pacem conficeret, eidem Cardinali Societatis causam impense commendavit. Ad eamdem causam promovendam, alterius Cardinalis operam feliciter adhibuit. Is erat Arnaldus Ossatus, eximia in Galliam patriam suam et Henricum Magnum fide. In una quadam e plurimis, quas pro Societate scripsit ad varios proceres, litteris affirmat *, nihil æque nociturum Regi, de quo censuris propter hæresim irrogatis absolvendo agebatur in Romana Curia, quam si durius in Patres aliquid statueretur, nihil æque Regis et Regni hostibus profuturum. Cum negotium lentius procederet, faciendum Clemens censuit, ut Antistes Roma cum litteris ad Regem legaretur, aut in ipsa designaretur Gallia, qui ceteris solutus curis, restitutionem Societatis unice urgeret. Huic operi destinavit præsulem Regi notum et carum, Horatium Montanum, designatum Archiepiscopum Arelatensem, eique comitem adjunxit P. Laurentium Magium, virum prudentiæ laude insignem, Visitatoris munere ante aliquot annos functum in Gallia, et Regi pariter bene cognitum. Videbatur Pontifex facile impetraturus quidquid a Rege postularet, cui non leve beneficium concedebat, declarando, post omnia diu multumque considerata, ejus matrimonium cum Margarita Valesia nullum irritumque, id quod Rex magnopere cupiebat. Hoc ut Henrico significaret,

* *Epistola ad Villaregium 10 Cal. Nov.* 1597.

præsulem Arelatensem mittebat in Galliam, ac vicissim petebat a Rege ut cumulare catholicorum gaudia et Societatem Jesu revocare maturaret. Henricus tamen Clementis vota paulisper distulit, dum rem totam attentius veriusque cognosceret. Audiverat passim Societatis homines tamquam hostes regni suosque describi, quam de illis opinionem alere in ejus animo et confirmare conabantur tum patroni hæreseos, qui tunc in Gallia non pauci, tum catholici complures a nobis aversi, iique propter dignitatem ac doctrinam, non contemnendi. Quæcumque Societati objiciebantur singillatim excussit: alia obtrectationis et invidiæ; alia falsitatis plena deprehendit. Ipsam Societatem penitus introspexit: ejus mores, instituta, leges accuratissime cognovit, longeque aliam esse, ac ferebatur, animadvertens, dicere postea non dubitavit, invisam nemini esse posse, nisi cui esset ignota. Intellexit etiam nostrorum erga se regnumque suum fidem et charitatem, e litteris ac testimoniis multarum civitatum ac provinciarum in quas nihil juris erat Senatui Parisino, quæque illos non modo non ejecerant, verum etiam cupidissime retinebant, et complectebantur. Sed nihil eum Patribus magis conciliavit, quam cum eos cognovit Romæ omnibus viribus eniti ut quamprimum Ecclesiæ reconciliaretur, quo uno capite regis regnique salus, gloria, pax et securitas continebantur. In hanc unice curam

cum Præposito Generali Societatis incumbebant Patres Antonius Possevinus, Jacobus Comoletus, domus Professorum Parisinæ nuper præpositus; Alexander Georgius, Collegii Parisini antea Rector; Jacobus Sirmondus, ac demum Toletus noster, quem in ista causa *unum præ ceteris omnibus* fecisse Ossatus ait; additque Augustus Thuanus * Henricum gloriari solitum, et *inter fatales sibi felicitates numerare, quod Toletum suæ causæ apud Pontificem defensorem et assertorem fecisset.* Accessit ad hæc commendatio gravissima Reginæ, Mariæ Mediceæ, quæ Florentia Lutetiam discedens, visendam sibi putaverat S. Mariam Magdalenam de Pazzis, Virginem Carmelitanam, et ab illa tria quædam ejus apud Deum precibus impetranda postulavit. Tria vicissim a Regina virgo flagitavit, quorum primum ac præcipuum erat, ut Societatem Jesu revocandam Parisios curaret, subjunxitque nihil ab ea Numini gratius, vel Galliæ utilius præstari posse : quod Regina, pro sua singulari, et avita in Societatem benevolentia, sedulo præstitit.

* *lib.* 113.

Henricus IV Societatem defendit.

His inductus Rex decrevit Societatem reducere Lutetiam, et in civitates unde discesserat, imo collegiis veteribus concessit ut adderentur nova, quæ certatim exposcebant Lemovicenses, Floriopolitani, Tutelenses et Brivenses. Tolosanis ut sibi aliisque Occitaniæ urbibus retinere nostros liceret postulantibus, annuit : quo nomine

clarissimos cives tam bene de Societate nostra meritos, grata semper memoria prosequemur. Aquitaniæ pariter domiciliis ne quid inferretur molestiæ vel damni vetuit : lata in Comitem Turnonium, qui Socios urbe sua pellere omnino recusabat, a Senatu Parisiensi edicta rescidit. P. Petrum Cotonum suæ conscientiæ arbitrum, et regium in aula concionatorem esse jussit. Domum suam Flexiensem, regali magnificentia structam, in agro Andegavensi, nobis habendam in perpetuum donavit. Patres, præcipuosque fori et aulæ proceres, pro Societatis innocentia, modo privatim, modo publice perorantes, primum Blesis, deinde Parisiis, postea Metis, et alibi benigne audivit. Postremo Rotomagum profectus anno MDCIII edictum restituendæ Societatis ibi promulgari jussit. Illud senatus Parisiensis referre in tabulas publicas, ut regia solet edicta, cunctabatur : et Senatus Præses semel atque iterum admonitus, diem ex die ducebat. Instantem denique urgentemque regem obtestatus, ut sibi fas esset quæ in Regis ipsius rem ac publicam esse viderentur, libere proponere, verba per semihoram fecit, et oratione meditata, cui vim ac pondus addebat oris dignitas, vocis contentio, et innatus dicendi lepos, exposuit quæcumque in Societatem invidiose dicta et ficta vel meminisset ipse, vel ex aliis audivisset, adeo ut qui aderant e proceribus nobis dediti expallescerent,

ac Regem, (quamvis acute ac subito respondendi laudem sibi nec falso vindicaret,) diffiderent posse contra senilis et exercitatæ facundiæ robur consistere. Tum ille, omnibus ad audiendum arrectis, breviter se colligens, cœpit Præsidis Senatus orationem a principio resumere, ac singillatim quod cuique capiti respondendum erat, tam eloquenter subtexuit, ut eum non modo pugnandi vincendique, sed etiam egregie dicendi artem callere, cœtus omnis Principum et Antistitum, plausu lætitiaque gestiens, fateretur. Exstat in omnes pene conversa linguas ejus oratio, verius dixerim Apologia luculenta, et panegyricus Societatis. Senatus Præses nihil contra hiscere ausus, edictum in acta retulit *. Henricus vero probrosam pyramidem, ante curiæ valvas anno MDXCV erectam, in qua incisum exilii Patribus indicti decretum legebatur, everti jussit *.

* 2 *Januar.* 1604.

* *anno* 1605.

P. Cotonus Romanam purpuram recusat.

Idem magnam e concionatoris et confessarii sui modestia voluptatem, nec minorem de Societatis moribus existimationem cepit, cum oblatum Patri Cotono Archiepiscopatum Arelatensem ab eo recusari constanter vidit, voti religionem, qua Professi ad sacros honores respuendos tenentur, objiciente. Speravit Rex Romanam purpuram eidem facilius imponi posse, egitque clam cum Paulo V ut in sacrum Purpuratorum Patrum collegium cooptaretur. Spem Regis ac desiderium accendebant recentia Patrum Toleti et Bellarmini

Cardinalium exempla. Subodoratus Regis consilium Cotonus, ita suam et per amicos et per se ipse, causam apud Regem egit, ut eum denique de sententia dimoverit.

Condita collegia.

Henrici erga Societatem voluntate perspecta, civitates Galliæ amplius viginti collegia flagitarunt : quædam statim fuere condita : quædam, ut Parisiense, Divionense, et alia nonnulla restituta hoc anno, aut sequenti. Receptum quoque in Livonia Derpatense, sed vastatum et prope destructum a Suecis Lutheranis : at Claudiopolitanum ab Arianis direptum fuit, et æquatum solo, in Transsylvania, quam Moyses Siculiæ Princeps, a Sigismundo derelictam, occupare meditans, exercitum ad Claudiopolim admovit. Obtinebant urbem magistratus Ario dediti. Moysem patentibus portis accepturos se pollicentur ea conditione ut liceret sibi de collegio Societatis arbitratu suo statuere. Ultro annuit, et in urbem admissus est, quinto Idus Junias. Primus impiorum furor in collegii templum irrupit. Deturbatis, et comminutis imaginibus sacris, divinam hostiam avellunt ex augustis aræ penetralibus, spargunt humi, pedibus proculcant. Non tulit execrandam impietatem Emmanuel Nerius e Societate, domesticæ rei adjutor, et ædis sacræ custos. In medium furentium et vociferantium agmen ruit, ac sceleratos cohibere, demonstrata sacrilegii gravitate, conatur. Dicentem invadunt,

Claudiopolitanum vastator etc.

idolorum cultorem et papicolam clamitantes. Unus fronti validam incutit securim; alter glande plumbea transfixum dejicit. Ætatis annum attigerat nonum dumtaxat et vigesimum. Romam e Pedemontio, quod illi natale solum fuit, profectus in Societatem venerat anno MDCI. Non solus Arianorum impiam vim excepit. A templo in collegium convolantes unum e nostris adeo male multant impactis fustibus, ut vitam inter summos dolores ægre traxerit ad annum usque MDCXV. Alterum graviter vulnerant : ægrotos excutiunt cubilibus, raptantque; ceteros plagis obrutos extrudunt foras, ac demum vastata tecta proruunt.

In Anglia PP. exilis damnati.

In Anglia nihil fusum est catholici sanguinis. Quin etiam puduit Anglos proceres pristinæ crudelitatis, cujus auctor præcipua Elisabetha, felici religionis fato periit pridie Nonas Aprilis, cum annos tres, et quadraginta regnasset, mulier in patriæ perniciem, iratis Superis nata. Post ejus obitum Angli, ut præteriti temporis lenirent acerbitatem, recludi custodias, equuleos et patibula removeri jusserunt. Inter plurimos qui vinculis soluti, et exilio, tanquam beneficio, affecti, receperunt se in Belgium, quinque Societatis homines numerabantur : duo insignes præ ceteris P. Guill. Westonus, et F. Rudolph. Emersonus, qui per viginti fere annos in tenebricosis sepulti ergastulis ad novam lucem, aut vitam potius e diuturna morte revocati sunt. Westonus in car-

cere Wisbicensi per annos decem jacuerat. Inde Londinum deportatus, habitare diu coactus est in antro tam pestilenti, ut affirmaret, quidquid antea dolorum et morborum toleraverat, non fuisse diuturno hujus ergastuli cruciatui comparandum. Deductus Caletum; postea Vallisoletum venit, quo in urbe Seminarii Anglicani curam gerens, vitam produxit usque ad annum MDCXV. Rudolphus Emersonus, P. Edmundum Campianum in Angliam, mox PP. Crittonium et Stoltum in Scotiam, denique P. Westonum secutus, ab algore, incommodisque custodiarum paralysin contraxerat, et dimidia jam sui parte mortuus, totum semper tenuit ingentis animi, angusto in corpore ac fracto, vigorem et libertatem, quam ipsi plenissimam anno sequenti fortunata mors attulit Audomaropoli.

Fr. Goes veneno peremptus a Saracenis.

Ut ab Anglis Emersonus periit, sic a Saracenis Benedictus Goes. Manaverat per mercatores quosdam, Mogolis aulam ingressos, rumor de remota et vix cognita regione, quam Catayam appellabant, et quam insita humanitate ad Evangelii satus accipiendos optime præparatam affirmabant. P. Nicolaus Pimenta, Societatis in India Visitator, F. Benedictum Goem delegit, qui novam hanc gentem exploraret Christianis postea sacris instruendam. Profectus cum mercatorum turma, post varios errores laboresque, anno vertente pervenit Hircandam, Saracenorum urbem. Dum

ejus sarcinæ excutiuntur, unus ex aulæ proceribus, qui forte aderat, librum Evangeliorum eleganter tectum deprehendit, ac regi dilaudavit. Avidus videndi rex, Goem arcessit. Rogat, quid isthuc libri sit, et locum aliquem ex eo legi petit. Goes evolvit librum, ac deosculatus, imponit capiti : sic solent cum rei cuipiam honorem habere volunt. Mox ex eo, quem legebat, loco arripuit occasionem disserendi de parta per Christum salute, de judicio supremo; de Christianæ religionis excellentia et necessitate. Stupebant attoniti circa regem proceres partim rerum novitate, partim dicentis fiducia perculsi. At legis Mahometanæ doctores, eum ad infandam superstitionem adducere sæpius conati, cum nihil proficerent, ad eumdem perdendum conspirarunt. Nefarios improborum conatus fregit auctoritate regis, cujus beneficio assecutus est, ut illis perquam invitis, reliquum iter conficeret. Quo longius progrediebatur, eo fiebat certior Catayam ab imperio Sinensi, haudquaquam esse, nisi solo nomine, diversam. Dubitationem omnem sustulit ingentis muri, quo Sinæ a Tartaris discluduntur, aspectus. Hunc trangressus, attigit Sucheum, Sinicam urbem, ex eaque litteras ad P. Matthæum Riccium dedit, quibus ipsi significabat, quanto versaretur in periculo inter Saracenos Christianorum hostes infensissimos. His auditis, Riccius unum e nostris fratribus, Joannem Fernandem

continuo Sucheum misit, ubi Goem ærumnis et fame confectum invenit : venenum, ut fama est, addiderant cibis Saraceni, quo languentem, ac paulo post mortuum Fernandes Christiano, quantum licuit, more composuit *. Lusitanus erat, oriundus ex insula Sancti Michaelis. Oblatam peracto tirocinio facultatem prosequendi studia litterarum, quibus operam adolescens dederat, et Sacerdotii consequendi, recusavit humilitatis studio. Datus P. Hieronymo Xaverio ad Mogoles proficiscenti comes, Persico sermone haud segniter percepto, morum insigni urbanitate, necnon dexteritate ingenii, animos gentis mire sibi conciliaverat; idoneumque imperator judicaverat, * quem cum Soldano Hama legaret Goam, de pace inter Mogoles et Lusitanos sancienda.

* *anno* 1607.

* *anno* 1601.

In Sinensi Imperio,

Hunc, si fuisset superstes, facile a Saracenorum manibus P. Matthæus Riccius eripuisset, quippe qui singulari apud Imperatorem gratia, et apud magistratus, auctoritate polleret. Jam enim Evangelica lux offusam litteratorum, quos tanquam magistros universa gens audit, animis caliginem dispulerat, jam humilitas Crucis Christi superbiam Mandarinorum domuerat, et piorum grex non tantum numero, sed vera virtute in dies augebatur. Unusquisque amicis et propinquis dux ad religionem capessendam et exemplar probitatis, ipsis etiam ethnicis erat : cumque Lucas quidam, a flagitiis palam notis, ad frugem bo-

prima B. V. Congregatio,

nam, peculiari gratiæ divinæ dono traductus, amplius centum olim scelerum suorum adjutores et socios ad Patres adduxisset, in B. Virginis fidem, et clientelam solemni sacramento una cum illis se contulit, Ricciumque impulit, ut primam Deiparæ sodalitatem ceterarum in Ecclesia Sinensi velut parentem, institueret.

Florere Christianam rem, et unius Dei nomen increbrescere molestissime tulerunt idolorum nonnulli cultores. Scribendi contra peregrinæ religionis, ut aiebant, commentum partes detulerunt ad nobilem Mandarinum, qui contra cœli dominum in operoso volumine debacchatus, Confucium ipsum, tanquam unius Numinis assertorem, petulanter insectabatur. Visa res indigna tribunali ceremoniis publicis dijudicandis præposito, et ritibus Sinicis contraria. Librum auctoremque accusant apud Imperatorem, ac rogant, ut plurium Numinum cultum, patriis vetitum pridem legibus, novo edicto prohibeat. Conscriptum illico edictum est, auctorque pestiferi voluminis conjectus in carcerem, supplicium paratum, sectis ultro faucibus, antevertit. Nondum tamen, licet icta tanto fulmine, impiorum secta conciderat. Stabat adhuc ingens illius columen, Tarquonus, e Mandarino Bonzius, senex annis vitiisque gravis, quem numinis loco venerabatur populus, suspiciebat aula, metuebant eunuchi, colebat Imperator ipse. Regina vero, cum ejus aspectu frui

et vetitus novo edicto plurium Deorum cultus.

non posset; missam ab illo vestis detritæ laciniam in sacrario domestico suspensam, quotidie genibus pronis supplex pio libabat osculo. Aulam per eos dies tristis turbavit rumor. Dicebatur Imperator majorem natu filium, imperii legitimum hæredem, a solio removere velle, ipsique fratrem ejus natu minorem substituere. Incidit in manus Principis libellus, in quo consilium hoc atrociter carpebatur. Excanduit, et scripti audacis architectum vestigari jussit. Incubuit in Bonzios suspicio. Excutiuntur illorum cœnobia, scrinia refringuntur. In Tarquoni capsis affine libro scriptum, chartæque multorum consciæ scelerum deprehensæ. Rapitur in jus, et fustuario damnatur. Quo in cruciatu, sive plagarum numero, et acerbitate; sive adeo ignominiæ impatientia exanimatus, vitam sceleratam turpissima morte clausit.

In Japonia Societas numerabat centum et viginti de suis, et domicilia viginti tria. Nihil quietum, nihil plane tutum. Angustiæ rei familiaris etiam difficiliores, quam annis superioribus. Cum nihil acciperent Patres ab indigenis, inopiam suam sustentabant eleemosynis ab Europa submissis. Eas hoc anno Meacum deferebat navis Lusitana. Jam portum tenebat, cum subeuntem adorti prædones Batavi abduxerunt. Ac suam quidem egestatem nostri facile consolati sunt; sed non potuerunt non vehementer dolere miserrimam fortem florentissimæ juventutis, quæ in ipsorum

In Japonia

præ rerum penuria

PP. coguntur discipulos dimittere.

seminariis ad spem tutandæ ornandæque religionis succrescebat, quam cum alere non possent, solito subsidio destituti, dimittere coacti sunt. A lacrymis temperare nequiverunt, flentibus ubertim suavissimis pueris, quos tot curis et sumptibus educatos, a se divelli conspiciebant, et in gravissima corporum animarumque pericula conjici.

Hanc domesticam calamitatem excepit altera gravior, et publica. Quanto magis confirmari suam auctoritatem sentiebat Imperator, tanto minus de Christianorum commodis et incolumitate laborare videbatur, et laxiores infestis aliquot provinciarum præfectis ac regulis habenas laxabat. Id non nesciens Cazugedonus, rex Fingi, leges nuper a se contra Christi servos latas renovavit. Primus illarum acerbitatem pertulit Joannes Minamus nobilis Japon, natus annos dumtaxat quinque et viginti : quem secutus est paulo post Simon Gifoius, ob religionis pariter causam capite damnatus. Non latuit edictum ferale matrem ejus et uxorem. Prodeunt alacres, et calidam a famulis parari jubent. Ea corpus abluere mos est Japonibus, cum vocantur ad epulas; lotus Simon, et pictam auro vestem indutus ad mortem non secus atque ad convivium procedit, servosque certo donatos omnes munere, novissimis salvere verbis jubet. Erupit lamentabilis tota domo planctus. Mater ejus conjuxque victæ dolore conciderunt. Quos ille siccis oculis erigens : Itane, inquit,

Japones pro Christo mortem tolerantes

invidetis felicitati meæ? Ubi illa virtus? ubi, quam toties verbo et re declarastis, constantia? Sic paulisper confirmatæ sunt. Et ille : Postremum hic vos video, dimittoque; brevi tamen ambas illic, ut confido, recepturus; date operam, ut præeuntem fortiter sequamini. Policentur se facturas, et invicem suavissime complectentes pergunt in aulam scenæ ferali destinatam. Stabat inter accensas faces media imago Christi spineo diademate rediniti, cujus ad conspectum procidens fortissimus juvenis, Christum demissa in terram fronte suppliciter veneratur, et fusis aliquantisper precibus, nudato collo explicat caput, quod uno ictu tortor decussit. Mater filii cruentam cervicem tollens, Deus æterne, inquit, qui filio tuo unigenito non pepercisti pro me, hunc meum, qui se tuo jam honori immolavit, habe. Accurrit pariter uxor Simonis Agnes, et charissimi sponsi caput repetitis osculis lacrymisque complevit, beatam se clamans, quod virum haberet martyrem, ac velut cœlo jam receptum obsecravit, ut sponsam ad ejusdem necis et gloriæ consortium vocare ne cunctaretur.

Heroïca puerorum et mulierum fortitudo.

Preces libenti prolixoque animo factas audivit Deus. Adest a rege nuntius, dictam in ipsas mortis sententiam ferens, itemque in Magdalenam Joannis Minami conjugem, ejusque filium parvulum septem octove annos natum. Hic viriles et Christianos in imbecillo sexu animos

admirari licuit. Ruunt in mutuos amplexus, gratulantur inter sese; ac si quas fudere lacrymas, gaudium expressit. Prima cruci adstricta est Joanna, Simonis mater, tortores obtestans, ut omnem in se, quo propius Christum imitaretur, crudelitatem expromerent. Nec diu moratus carnifex lanceam adegit in lævum latus, neque illud tamen pertudit. Hebetatum mucronem intrepida mulier increpuit, ac Jesum Mariamque iteranti, tortor tanto impetu hastam incussit in idem sinistrum latus, ut pectore trajecto, acies ex humero dextro emerserit.

Magdalenam cum applicarent cruci satellites, accurrit Ludovicus, (id ejus filiolo nomen erat,) utque cum matre necaretur, flagitavit. Igitur ante matris oculos, ut bis illa scilicet moreretur, pusillæ cruci alligatur puerulus, et quia constringebatur durius, paulum ingemuit : Palluit mater : ipse centurio, tragici spectaculi moderator, lacrymas non tenuit, ac laxari paululum funes imperavit. Pendens puer oculos a matre non dimovebat. Quem illa, oculis vicissim in eum assidue conjectis, identidem submonebat, ut bono esset animo, ut Jesum ac Mariam appellare non cessaret. Suavissima nomina pronuntiabat puer, mater eadem repetebat, concentu mirabili, populo gemitibus accinente. Processit interim carnifex et puerulum percussit. Sed ictu levi, ac pene irrito, an infantis commiseratione? an fallente

ferro, et locum in tantillo corpore, vix habente? At si puero pepercit ferrum, matri certe non pepercit. Subito : age, fili, exclamat, Jesum inclama. Infans, mirum! nec gemitu quidem, aut lacrymula, significationem ullam doloris aut metus, dedit; sed eodem vultu tortorem, dum ictum certiorem inferret, exspectavit. Hac morte perfuncta mater, levius suam tulit, et fumantem adhuc filioli sanguine lanceam toto accepit sinu. Restabat Agnes, uxor Simonis, et victimarum quatuor postrema, sequi socias avida, necemque deposcens. Deerat, qui necare vellet. Satellites, nobilitatis quadam reverentia, et eximiæ pulchritudinis, cujus etiam splendorem juncta dulcissimæ indoli pietas augebat, perculsi torpebant. Tandem ferociores quidam ethnici, arreptis carnificum lanceis, quas tractare nesciebant, multis promiscue vulneribus concisam peremerunt.

Hi fuerunt anno MDCIII Japonicæ fructus Ecclesiæ. Effloruit protinus in copiosam messem, imbuta fecundo martyrum cruore seges Evangelica. Neophyti a quibus, metu suppliciorum dissimulata, aut abjecta fides fuerat, muliebri exemplo ac fortitudine ad pudorem et pœnitentiam adducti, cum Deo et Ecclesia in gratiam redierunt. Confirmati qui nutabant ceteri, ad similem gloriam consectandam stimulis acrioribus excitati. Ethnici ingenti numero ad Christi religionem accessere, eam esse veram sapienter

judicantes, ob quam ingenio, moribus et genere præstantes viri feminæque vitam, et omnia quibus mortales gaudent bona, projicere minime dubitarent.

Turcicus Præfectus introduxit PP. in Æthiopiam.

Quantum adjuvet principum ac dynastarum favor ad Evangelium propagandum, ut in Japonia sæpe, sic in Æthiopia modo intellectum est. Ex ea Patres olim expulerat imperatoris Abyssinorum ferocitas; ad eosdem revocandos dynastæ Turcici auctoritas ac potentia valuit. Is erat Rezoanus, Turca, qui Dium ex Erythræi maris littore profectus, et a Patribus ibi degentibus aliquot beneficiis affectus, cum rediret in Æthiopiam, accepit in suam navim P. Petrum Paezium, undecimo Cal. Aprilis, eumque tuto per certos homines deducendum curavit Fremonam, oppidum Abyssinorum Æthiopum, ubi ædem sacram habebant Lusitani. Exceptus ab omni populo cum ingenti lætitia, catholicos ad retinendam Fidem est adhortatus, et indigenas non paucos ad errores deponendos induxit. Sed cum intelligeret ab nutu Imperatoris omnia pendere, a quo religionem et mores vulgus illic sumit, ad eum scripsit, ejusque conveniendi veniam postulavit. Imperator Jacobus Malac Seguedus antecessoribus suis longe humanior, et catholicæ religioni amicior, benigne rescripsit, ac venientem amplexatus, consedere jussit, non sine querela monachorum, qui frequentes cum proceribus

adstabant, et indignabantur tantum honoris haberi Sacerdoti catholico. Triduo post, concertationi celeberrimæ diem designavit princeps, ad quam quotquot eruditionis gloria præstabant, invitavit. Sedebat ipse aureo fultus solio, et nobilitatis corona cinctus. Post multa hinc atque inde agitata quæsivit monachorum præses, cur duas in Christo voluntates poneremus? Quia duas, ait Paezius, in Christo naturas humanam ac divinam ponimus, unicæ velut insitas personæ: nec sua voluntate propria, uti nec mente et intelligentia, spoliari alterutra naturarum istarum potest. Quid enim naturæ spirituali restat, si mentem illi aut voluntatem detraxeris? Addidit alia pleraque, ducta e theologicis fontibus : quæ cum audirent monachi, hærebant admiratione ac pudore defixi. At Imperator serio ingemiscens : Jam intelligo, inquit, nos Christianorum habere nihil præter nomen; et astantem Episcopum compellans : Non video, subjecit, cur ab istis hominibus tantopere abhorreamus : quid enim non recte ac sapienter docent?

P. Michaëlis Pastoris in Perua mors.

Suam huic anno quoque symbolum conferat America. Juliensem tractum in Perua vexavit tetra pestis. Nulla periculi aut laboris facies deterruit Socios, quominus animis pariter et corporibus in calamitate publica succurrerent : nam Parochorum munia quatuor in locis obibant. Horum unus P. Michael Pastor, boni pastoris ritu,

animam pro suis ovibus posuit. Hispania illum Societati; Societas Americæ dederat. In eo præsertim elaboraverat, ut libros vernaculo gentis sermone conscriberet, quorum sex tomos reliquit, magno non solum populi emolumento, sed etiam adjumento præconum sanctæ legis.

Annus Christi 1604 : Societatis 65.

Vocati in Moscoviam Patres.

Magnus in Moscoviæ et Poloniæ theatrum actor prodiit, personam difficilem et ambiguam acturus. Nomen illi Griska, ortus nobilis, habitus oris simillimus Demetrio Moscoviæ principi, Joannis Basilidis filio, ante triennium cæso. Griska, oris illa cum Demetrio similitudine ac sagacitate ingenii fretus, nobili Polono persuasit se Demetrium ipsum esse, neci addictum quidem a Boride Gudenoo, Moscoviæ duce; verum amicorum opera servatum. Addidit, si paternum in solium restitueretur, se catholicæ religionis libere in Moscovia profitendæ potestatem facturum; nec distulit Græcanicum abjicere schisma, seque Patribus Societatis erudiendum tradidit. Incensus religionis studio Polonus, vocatus in consilii et spei partem amicis ac primoribus regni, scribit exercitum. Boridi bellum indicit, quem conceptus de rivalis incredibili successu mœror exstinxit anno sequenti : sublato æmulo Griska, rerum potitus, vocavit in Moscoviam Patres, et operam restituendæ, uti promiserat, religioni dedit :

sed eam ob rem gravibus improborum odiis et insidiis appetitus, illorum tandem conspiratione periit anno MDCVI. Patres vinculis ærumnisque macerati, ægre in libertatem vindicati sunt.

P. Martus dolo nocatus.

Non aliam ob causam necatum a sicariis apparet P. Michaelem Martum, qui catholicam veritatem contra vim et dolos Arianorum fortiter propugnabat Albæ Juliæ in Transsylvania; cum ad redintegrandam inter duos nobiles concordiam, iter necessarium suscepisset. A prædonibus, casu an industria? obviis in flumen cum socio dejectus est decimo Calendas Maias.

P. Cotonus opera Calvinistarum graviter necatus.

Non stetit per Calvinianos quin similiter periret P. Petrus Cotonus, cujus cura omnis in eo maxime versabatur, ut consilia hæreticorum, et molitiones in Gallia frangeret, simulque Regi Henrico IV eriperet errores, quibus imbutus a puero fuerat. Quod ita strenue præstabat, ut Rex ipsos mendacii magistros revinceret, ereptosque illis proceres quamplurimos Cotono erudiendos traderet. Sacerdotem invisum, tot cladium auctorem, perdere decreverunt. Redibat ab aula sub vesperam Idibus Januarii, in amici rheda. Percussor ab iisdem submissus, rhedam assectatus, et observato diligenter loco ubi sedebat, invadit a tergo nec opinantem, et illi gladium in scapulas adigit. Inspecta plaga miraculi plus, quam periculi est habere visa. Quippe innoxius gladii mucro, velut arcana regente manu, perlapsus nervos

inter ac majores colli venas et arterias, quæ sine certo exitio nequeunt vel levissime violari, vulnus luculentum magis fecerat, quam letiferum. Cum interim, jubente Rege, capitalium rerum prætores nullum inquirendi sicarii finem facerent, enixe rogavit, ut curam hanc penitus omitterent, ac paucis post diebus, Deo juvante, convaluit.

Hæretici exagitati.

Tutius res in Germania, quamvis non minus fructuose gerebatur cum Lutheranis, cum Pikardis, et Anabaptistis. Pikardorum sectam nomine suo insignivit Pikardus nescio quis, oriundus e Belgio, et priscorum Adamitarum deliria renovavit. Quamvis ad annum Christi MCCCCXX * profligati, et propemodum exterminati fuissent, nihilominus impuræ sectæ reliquias Bohemia præcipue reviviscere dolebat. Ad eas exstirpandas P. Wenceslaus Sturmius, aliique deinceps incubuerunt. Anabaptistarum nomen longe antiquius est; quippe quorum natales referuntur ad prima Ecclesiæ tempora, auctoribus Marcione, Novatianis, et Donatistis. Errorem a Stephano I variisque synodis damnatum, tamquam recoctam cramben reposuerunt recentium opinionum architecti : quo ex genere Thomas quidem Munsterus collectos in Germania agrestes, contra suos principes armavit. Transgressa e Belgio in Angliam pestis, Mennonitarum sibi nomen ab interpolatore suo Simone Mennonio filio, adscivit. Anabaptistæ, quæ vox Græca Rebaptizantes sonat, ideo dicun-

* *Vide Spondeum.* Item P. Possevinum in exam. sectæ Picardicæ.

tur, quia baptismo iterum lustrant eos, qui recens ab ortu, vel ante rationis usuram, baptizati sunt: persuasum quippe habent, neminem baptismo esse idoneum, nisi qui fidem profiteri per se ipse possit. Nullus errandi finis, cum ab Ecclesia catholica, veritatis columna, discesseris: idque perspicuum est in ipsis errorum magistris, quos inter convenire nihil potest. Itaque oleum, ut proverbio dicitur, et operam perdidit Schmidelinus, Concordistarum Lutheranorum auctor, qui Calvinum cum Luthero conciliare nitebatur. Ille Hagenoam, Germaniæ in Alsatia urbem clarissimam, ante annos aliquot irrepens, senatum nonnullosque proceres contaminaverat. Nihilominus civium pars melior in avita manebat fide, quos Societas, illuc identidem procurrens, in avita religione confirmabat. Hoc demum anno impetrarunt, ut Hagenoam Sociorum colonia deduceretur, futuri collegii spes. Eadem spes ostendebatur Cassoviæ, (est amplissima civitas Hungariæ superioris.) Acciti per Mathiam archiducem concionatores e Societate cum litterarum professoribus, mendacii ministros in latebras compulerant: Sed orta per eos seditione, coacti sunt Patres in Poloniam discedere. Parum quoque obfuit, quin tumultus popularis per cœnobitas excitatus, Flaviobrigæ (Bilbaum alii vocant) evocatos a Senatu Socios expelleret. Sed Provincialis initam rite possessionem collegii tamdiu fortiter tenuit,

Primordia collegiorum, Hagenoæ, Cassoviæ,

Bilbai etc.

dum Nuncius Pontificius et Regis administri tumultum compescerent. Cadit in hunc eumdem annum delineatio collegii Ensishemiensis, perfectio debetur anno MDCXIV. Statio posita Imolæ anno MDXCIV, justi collegii nomen ac formam induit. Ad ponendam Societatis domum Clagenfurti, quod Carinthiæ caput est, ipsimet hæretici, etsi præter spem ac voluntatem, non leviter adjuverunt. Ædes amplas construxerant, in quas convenirent, suum Dei verbum audituri. Fabrica surgebat ingens, eoque disposita modo, ut speciem collegii præ se ferret, dictitaretque populus, non aliis ædificatam fuisse quam Jesuitis. Eam postea fisco Principis addictam Ferdinandus nobis hoc anno habendam in perpetuum dedit. Proscriptis deinde civibus, qui publicæ rei ac religionis tranquillitatem perturbare moliebantur, erexit se catholicorum pridem oppressa pictas, et sacrosanctum Christi corpus vicatim circumductum, repetita post quadraginta duos annos quam intermissa fuerat, solemni supplicatione. Intermissæ quoque parumper scholæ Rothomagenses, post revocatam anno superiore Societatem, denuo patuerunt, easque mille discipuli statim implevere. Posita fuit in eadem urbe domus sacerdotibus nostris, qui docendi munere ac studiis theologicis perfuncti, ultimam probationem et annum tirocinii tertium obeunt. Reddita pariter sua Billomensibus et Bituricensibus gymnasia; restituta Profes-

sis Domus Parisina; Lugdunum revecta Societas est humeris, ut ita dicam, nobilissimorum civium, eoque profecit discessus noster, ut ampliorem ornatioremque domum, et perspectiorem civitatis clarissimæ benevolentiam haberemus. Parma et Brixia nobilibus pueris instituendis Seminarium condiderunt. In Lithuania tirones Polocio migrarunt Vilnam : Elvense collegium in Lusitania Dionysius de Britto fundavit.

Clades in Travancoride et in Pegu accepta :

At in regno Travancoris aliquot domicilia Societatis penitus eversa sunt. Solem terris eripuerat Luna, inter ipsum atque terras interposita. Mœstus pavidam ac superstitiosam gentem horror invasit. Rex somni cibique expers, hariolos et magos consulit. Respondent iratos superos Christiano sanguine placandos, et cum regiarum parte copiarum, in oppidum neophytorum impetum faciunt. Domus Societatis cum templo deflagravit. Pagi undecim vastati flammisque consumpti cum suis templis. Patres cum plerisque Christianis in prærealtam rupem vasto imminentem mari profugerunt. Locus erat sacer simio, quem inter præcipua numina gens numerabat, illucque Indiæ pars magna statis diebus, religionis ergo, concurrebat. Profanæ superstitionis vestigia omnia deleverunt, ædemque pulcherrimam Virgini Matri posuere. Belli quoque metu regnum Peguanum anno MDC Socii deseruerant. Sedato paululum armorum impio tumultu, reversi fractos præteritis

cladibus incolas erudire, prostratumque Missionem erigere cœperant, cum rex Arracani rursus bello Lusitanos lacessivit. Prœliis aliquot adversis domitus animum ad pacem appulit. Dux Lusitanorum Philippus Britus P. Natali Salerno provinciam dedit componendi cum rege fœderis. Conditionum hæc prima fuit, ut Christiana religio revocaretur in regnum. Hanc pacis legem cum Rex parum sancte servaret; trepida religio, perditis prope rebus, dubiisve languebat : non audebant Patres petentibus baptismum indigenis assentiri, ne mutata regni facie, datam Christo fidem mutarent. Lucri nonnihil factum in parvulis, qui jactura vitæ brevis ac tumultuosæ sempiternam in cœlo pacem adepti sunt.

Iniri facile nequit infantium numerus, quos in Molucis Deus sibi filios adoptavit : neque satis laudari ethnicorum fortunata mors, quos eodem salutis charactere insignitos aut morbus abstulit, aut bellum absumpsit. Saracenorum tria millia veteris vitæ atque impietatis sordes in sacris baptismi aquis deposuerunt. Plurimi Christianæ Fidei desertores salutari pœnitentiæ fonte perfidiam purgavere. Sacerdos præter oppidulum iter faciens, rogatus a civibus est, ut erigeret Crucem, ipsosque erudiret ac faceret Christianos; fecit, nullo excepto.

Progressus in Molucis et Philippinis.

In Philippinis barbarorum fidem divina bonitas præcipuis quibusdam beneficiis confirmavit.

Insulam Antipolim tanta vis locustarum invaserat verno tempore, cum herbæ pubescunt ac flores arborum induere se in fructus incipiunt, ut depastis magnam partem arvis, et anni spe absumpta, non dubia fames immineret. Adhibitæ sunt a Patribus, quas præcipit Ecclesia, preces, et instructo agmine mediis in arvis supplicatio pie celebrata. Sensit vim precum inimica frugibus lues; locustis partim disruptis, partim in montem vicinum delatis, spem agricolarum et horrea ubertas vicit. Alias, earumdem locustarum alter exercitus campis incubuit. Defixa in editiore loco Cruce, legio infesta, velut receptui canere jussa, procul avolavit. Alias, urebant agri, et annum sterilem tempestas justo calidior minabatur. Simul atque salutare Crucis signum palam propositum, et ostensum æstuanti cœlo fuit, contexit se nubibus, tantaque prorupit imbrium copia, ut pene contrariis vocanda votis serenitas sicca fuerit. Alias, cum tristes in populo grassarentur morbi, Christianis in insula Boholana vulgo pepercerunt. Quod ethnici cum animadvertissent, facile adducti sunt, ut suave Christi subirent jugum : ex iis nongenti sponte illud susceperunt : quingenti vero in insula Tanayna. E reliquis insulis turmatim confluebant, orantes, ut edocerentur. Fieri satis omnibus, propter Sacerdotum paucitatem, non potuit. Inventum tamen aliquod huic paucitati subsidium. Delecti sunt e Seminario Dulaceno

juvenes bonæ indolis, et virtutis expertæ, qui huc illuc exspatiati, erudirent rudes, baptizarent periclitantes, denique Sacerdotum, qua fas, supplerent vices. Penuriam eamdem operariorum omnino sublevavit Hispana classis, quæ quatuor et viginti Socios in Philippinas deportavit.

In Japonia reflorescit pietas.

Ad centum viginti Socios, quot erant in Japonia, sexdecim alii accesserunt, invitati malacia quadam et serenitate, quæ superioris anni tenebras, non diu tamen duratura, discussit. Imperator adhuc necessarios sibi Christianos judicans moleste tulit crudelitatem quam in illos Rex Fingi exercebat, eamque novis in eosdem beneficiis compensare ac delere studuit. Itaque cum adfuisset sub anni principium P. Organtinus ut consuetæ salutationis vectigal penderet, eum e conferta Bonziorum, quos idem officium exciverat turba exemit, ac per duas horas colloquentem detinuit. Prodiit in novam quasi lucem religio per occasionem regiæ in ejus magistros benevolentiæ, et amplius quatuor millia ethnicorum paucis mensibus cœlestem hauserunt e sacris baptismi lymphis originem; et inter illos filia Nobunangæ, nuperi Japonum Imperatoris, itemque Taicosamæ nepos. Seminariorum alumni ad pristina paulatim domicilia redierunt. Meaci gubernator ædem sacram magnificentissimam in superiori parte civitatis, præter aliam haud ignobilem, quam in inferiori jam habebamus, extruxit. Nangazachii

florebat sodalitium Deiparæ ab Angelo salutatæ, destinatum præcipue clericis ad obeunda vitæ Apostolicæ munia instituendis. Unum ex eo numero secrevit Episcopus, ac templo urbis primario præfecit : nec ita multo post per oppidi vias more catholico, nunquam antehac in Japonia usurpato, adorandum Christi corpus, apparatu pompaque singulari circumvexit. Quot regna Patres interim lustraverint, quot capita Christo subjecerint longius prope esset enumerare, quam illis fuit docendo baptizandoque peragrare : neque magis vacat referre singillatim Christianarum virtutum egregia documenta passim a neophytis edita; purissimum nitorem conscientiæ, delicta vel levissima expavescentis; diligentiam in præparandis ad sacrum epulum animis; severas jejunii leges observari solitas etiam a senibus; pietatem in frequentanda precatione; in eadem ad plures horas extrahenda constantiam; ardorem in Christi cruciatibus, non sedula tantum meditatione tractandis, sed varia corporum afflictatione imitandis.

Missio in Guineam repetita.

Non dissimiles fructus statim protulit instaurata expeditio in Guineam. Hæc secundum oram Africæ occidentalem, infra Promontorium Viride, longe protenditur, in eamque a Rege Lusitaniæ missi * fuerant olim Sacerdotes. Gravioribus negotiis interpositis abrupta pridem Missio, nunc demum est repetita, et postulante Rege, quatuor e nostris profecti prima sementis Evangelicæ

* *anno* 1491.

semina jecerunt in insula S. Jacobi e regione Promontorii Viridis sita. Non parum laboris initio fuit in comprimendis veneficorum præstigiis, qui per simulationem sanandorum corporum, perniciem animis et corporibus afferebant. Remedium pariter allatum alteri malo. Servitia Æthiopica ex interioribus Guineæ plagis interdum ad sexcenta raptim baptizabantur, ac subito imponebantur in naves in Indiam, aliove deportanda. Operam dederunt Patres ut erudirentur per otium, et quam religionem amplecterentur, quam vivendi profiterentur legem, intelligerent. Multa etiam ex illis per vim in servitutem abrepta, libertatem beneficio Sociorum consecuta sunt. Instantem egregiis laboribus P. Emmanuelem Fernandem mors eo molestior abstulit, quo viri ætas et virtus magis necessaria videbatur.

Fratres S. Joan. de Deo in Mexicum inducti.

Omnino ubique *messis multa, operarii autem pauci,* neque in hac tantum Africæ parte, sed in America, licet pluribus locis culta. Huic Operariorum paucitati subsidia quærentes Socii, dederunt operam ut alumni S. Joannis a Deo in urbem Mexicum, quo nullus ipsis dabatur aditus, quamvis diu quæsitus, admitterentur. Dum isti non curandis tantum corporibus, sed animis quoque serviunt; Patres, extra urbem effusi oppidula tria in Tepeguano tractu posuerunt, vocatis ad vitam communiter agitandam barbaris. Diu obstitit piis conatibus senex vene-

Ethnicorum reductiones.

ficus, satelles Erebi nequissimus. Sed cum restitutam ægroto S. Baptismi opera valetudinem vidisset, quam artibus impiis et veneficiis reparare nequiverat, *credidit admirans super doctrina Domini** Pervasit vicinam gentem fama, et ad Paludem, quam incolæ Magnam vocant, ubi nostri Sacerdotes triplicem habebant stationem, venere cum ingenti comitatu legati a septem oppidis petitum Christiana sacra. Deducti pariter e sylvis et rupibus Acagæi casas ac templa fabricare instituerunt. Topianam illi habitant vallem quæ leucas fere quadraginta patet in longitudinem, novam Gallæciam versus. Nudi fere degunt : pendet ex umbilico tantum lacinia cervinæ pellis; ima dorsi protegit cortex, interdum ad venustatem addita, vulpis aut canis cauda. Omnibus prælongi crines, et versicolore tœnia intertexti : os varie picturatum, membra cetera unguine fœtido delibuta. Sagittis pugnant, quas silicibus acutis, instar ferri, et veneno illitis armant; clava lateri accingitur : Amplius quinque millia baptismo lustrata priscos mores exuerunt, et quingenta ridiculorum Numinum, quæ sibi quisque fecerat, simulacra in ignem conjecerunt. Tantus autem ardor exstitit salutaris doctrinæ percipiendæ, ut integros dies jejuni consumerent in sacris ædibus, ad eam auribus animisque defigendam. Idem ardor populos quosdam ac dynastas remotiores impulit, ut cœlestis vitæ leges

Act. 13.

a Societate quærerent. Adfuerunt missi ab illis viri e tota gente lecti, ut eas accurate perceptas reportarent domum, ceterisque traderent.

Socii LVI Peruviam ingressi.

Qui barbaros ardor stimulabat ad Christiana sacra suscipienda, idem Patres urgebat ad eadem illis inferenda. Itaque socii sex et quinquaginta Peruam hoc anno sunt ingressi: quorum laboribus mores neophytorum plerisque in locis adeo mutatos fuisse constat, ut integræ civitates alias quodammodo se esse mirarentur et gauderent. Indorum vero mores ita repurgatos, ut *quasi modo geniti infantes, rationabiles, sine dolo* * cœlestis vitæ doctrinæque *lac concupiscerent.* In iis reperti sunt cæci (nam iis regio abundat) mira solertia prædíti. Eos instituere diligenter Fidei rudimentis placuit, quæ statim mandarunt memoriæ, et sacerdotibus operam utilissimam navaverunt. Iidem in longinguos emissi pagos, audiebantur ab indigenis summa cum voluptate: subjiciebant concioni pias cantiunculas, et petitas e sacris libris historias summa cum venustate narrabant. Cæcis interdum jungebantur muti, quibus unam natura linguam ita negaverat, ut alias totidem dedisse videretur, quot in capite nutus, quot in manibus digiti. Quæ præcepta sanctæ legis cæci proferebant voce, ea muti oculis eloquentibus, et vocali gestu exprimebant. Sic alteris alteri quod deerat commodantes, oculis auribusque attentæ coronæ serviebant. Alii

1. *Petr.* 2.

doctores, istis magis cœci et muti producti sunt in collegio Limano, nimirum libri, qui in vestibulo affixi advenas in aditu feriantes utiliter occuparent. Religionem ac virtutem non minus efficaciter multis persuasit in eadem Australi America, publica calamitas : Calendis Decembribus repentino motu concussa tellus per trecentas ferme leucas horrendam stragem edidit. Civitates plurimæ partim velut radicitus exstirpatæ, et in auras jactatæ; partim ita sepultæ, ut locus ubi stetissent quæreretur. Pars hujus cladis magna in Urbem Arequipam incubuit. Collegii Patres quasi divinitus conservati, omni ope sublevabant miserabilem turbam quæ nondum ruinis obtrita, aut hiante solo hausta erat. Illos multo paratiores invenerunt ad melioris vitæ curas serio concipiendas : is enim existere solet publicarum calamitatum fructus.

Annus Christi 1605 : Societatis 66.

In Gallia lites ex libris.

Non immerito dubitatum fuit, plusne detrimenti publicis rebus ac religioni quam adjumenti, per libros importatum fuerit. Post gravia superiorum aliquot annorum pericula feliciter a Sociis superata in Gallia, laborabat adhuc Societas, et in invidiam odiumque vocabatur apud Regem, librorum causa, quos non solum ejus adversarii spargebant in vulgus, verum etiam, qui ab ipsis Patribus aut alieno tempore, aut

odioso argumento, vel demum parum caute prudenterque scribebantur. Unus ex eo genere prodierat *Amphitheatrum honoris* dictus, auctore ut ferebatur P. Scribanio, Belga. Regem eo libro læsum clamitarunt, qui ejus in nos benevolentiam ægerrime ferebant. Apud ipsum graviter expostulant, librumque ut Principi regnoque toti exitialem describunt. Instantes compescuit Henricus, cum diceret, ab iis geminam hoc in negotio litem nobis intendi, et quidem injustissimam: primam, quod solos doctores Societatis reos facerent, licet eadem scriberent, quæ alii passim doctores ac theologi; alteram, quod quidquid peccabatur a diversæ gentis scriptoribus e Societate, id nostris omnibus, cujuscumque tandem essent nationis, præstandum ac luendum putarent. Mirum nihil esse si Romanus Societatis scriptor, non eodem semper modo atque Germanus, aut Belga, loqueretur ac scriberet. Servinus erat ea tempestate regius in Senatu Parisiensi advocatus. Hunc præ ceteris turbantem P. Cotonus cernens, quæsivit, quid ita sileret de recenti libello, quem gallice a Gallo scriptum impie in regem nominatim atque injuriose probe nosset? Belgam vero, qui latine scripserat, qui regis nomen appellabat nusquam, adeo ferociter accusaret? Si per te possum, inquit Cotonus, quid sentiam aperte dicam: Ille, quia Jesuita, reus tibi et niger; ille quia novitatis impiæ patronus, insons et candidus est.

At rex vulgi scripta et rumores contemnere solitus, nihil de sua in Societatem benevolentia remisit; jussitque ut Benearnenses, apud quos ipse fuerat educatus, Societatem acciperent, quam ex ea provincia excludere omnino hæretici conabantur : nec minore studio eamdem retinuit Pictavii, quam inde quoque gubernator ejicere contendebat. Pari benignitate Cadurcensibus, et Viennensibus collegia postulantibus annuit; Flexiensi centena aureorum assignavit millia. Ebredunensem Archiepiscopum de restituendis in antiquum lycæum Patribus cogitantem, cohortatus est ad rem conficiendam. Reddita Sociis est ipsorum domus, dejecto qui eam occupaverat hæreseos ministro. Mauriacenses vero magnam ab ipso gratiam inire se, nec immerito putaverunt, cum scholas diu propter temporum calamitatem occlusas reserarunt. Eas nunc primum aperuere Oscenses in Hispania, Massenses in Italia : quibus accessit Professorum domus Messanensis in Sicilia. Sed collegio Selliensi exuti fuimus in Hungaria, quam Botskaius crudeli et impio bello vastabat. Is Transsylvaniæ principatum adeptus, pulso Georgio Basta, Cæsaris legato, fuso etiam et fugato Belgioioso, Cæsarei exercitus duce, civitates quæ Austriacis parebant nullo negotio expugnavit : quas inter Claudiopolis illi se dedidit : si summam religionis constituendæ potestatem penes Arianos esse unos

Societatis domuum

varia sors.

vellet. Assensit facile Botskaius, incertum Calvinianus, an Zuinglianus, parum certe sollicitus quæ religio, modo ne catholica, regnaret. Statim inter Arianos actum de pellenda Societate. Imperatur Patribus, ut triduo, ad summum quatriduo ædibus et civitate cedant. Frustra principem ac proceres obtestati, cum exorare nihil possent, initium discedendi fecerunt ab exuendis altaribus, et spoliando sacris imaginibus templo, ne paterent hæreticorum injuriæ. Inde post lugubres aliquot psalmos, ante majoris aræ locum recitatos, et infixa pavimento non sine lacrymis oscula, sacram ædem deseruerunt, decimoquarto Calendas Sextiles, et in vicinum pagum Monostorum se receperunt. Cum tamen sequenti mense proceres tum catholici, tum hæretici convenissent ad regni comitia, prodiit in medium, annuente principe, P. Joannes Argentus, Provincialis; et æquitate causæ fretus, pro Societatis innocentia, voce primum, deinde scripto, acerrime peroravit. Botskaius respondit, dolere se vehementer, quod tam multos adversarios Societas haberet : se amplius de hoc negotio deliberaturum. Exilii tamen edictum a Senatu pronuntiatum valere interim voluit. Quare cessit Claudiopoli Societas : in reliqua tamen Transsylvania, præter omnium opinionem, et contranitentibus adversariis, restitit, et religioni catholicæ libertas utcumque mansit. Gratias egere præpotenti Deo Patres, et in pago Monostoro

eadem, quæ in civitate, munia obierunt, confluente ad eos ex urbe tanta catholicorum copia, ut iis capiendis angustus pagus esset.

In Anglia novo edicto proscribitur religio,

Non eadem religioni libertas constabat in Anglia. Robertus Cecilius, aulicis artibus gratiam Elisabethæ aucupatus, ad summos honores, et formidabilem catholicis, quos pessime oderat, potentiam obrepserat. Iisdem artibus ad Jacobi regis familiaritatem grassatus, catholicos illi tam invisos reddidit, ut eos radicitus extirpare decreverit tanquam veritatis hostes et suos. Itaque publico edicto prohibitum fuit, exeunte Septembri, alterius cujuslibet præterquam parlamentariæ, ut vocant, religionis exercitium. Priscæ leges ab Elisabetha contra Fidei Romanæ cultores latæ recentioribus durioribusque cumulatæ, tamque miserabilis evasit illorum conditio, ut Elisabetha desideraretur.

In Sinensi Imperio propagatur.

Quam in Anglia non inveniebat quietem religio et securitatem, in ultima invenit Asia. Supremum diem obierat Pauli celebris mandarini Christianus pater. Illi publice parentatum est eo ritu, quem usurpare in exequiis Romana Ecclesia consuevit. Palam testati sunt ipsimet ethnici nihil magnificentius fieri potuisse, nihil convenientius pietati liberorum erga exstinctos parentes; qua una præ ceteris ita gloriantur Sinæ, ut qui sunt in eorum moribus peregrini, mortuos ab eis Deorum instar coli putaverint. Iidem Sinæ ineuntem

annum præcipua celebrant hilaritate ac religione. Christiani augustum Jesu nomen, radiis et auro coronatum, ædium suarum januis affixerunt, consistentibus ad spectaculi novitatem ethnicis, et quid nominis id esset, dum cupide inquirunt, utiliter audientibus. Ita procedebat fecundissimo cursu religio, jamque eo pervenerat fidelis populi numerus in urbe imperii primaria, ut illi angustior sacra ædes esset. Igitur amplam domum coëmit Riccius, illamque singulari beneficio urbanus prætor immunem in perpetuum esse voluit censu, quem regio fisco ædificia omnia Pekini pensitant. Pars ejus prima templo addicta fuit, altera Sacerdotibus, tertia quatuor tironibus, qui ad opus Evangelicum formabantur, magistro P. Ferreira. Augebatur in dies pariter Nanchami piorum numerus. Memorabilis exstitit matrona cumprimis dives ac splendida, quæ jam decimum annum oleribus victitabat in honorem suorum Deorum. Ubi Christianam cognovit et secuta legem est, magnam simulacrorum ex auro, argento, et ligno struem Patribus concremandam attulit. Sed nullum certius mutatæ mentis documentum præbuit, quam laceratum diploma ridiculum, pridem ipsi a Bonziis auri magno pondere venditum, quo sacrilegi nebulones muliebri opulentia et simplicitate ad quæstum abutentes pollicebantur, fore ut, obita morte, inoffensum per callem recta evolaret ad Superos. Patres diplomatis inepti loco, spon-

sione gratuita fidem suam sancte obligarunt, si susceptam religionem constanter, et pie coleret, expeditum illi ad æternam felicitatem iter fore. Læta felici promisso postulavit, ut plenius erudiretur. Hunc in modum peracta res est. Aulam ingentem paries medius intersecabat. In pariete vacuus et patens locus, velo tamen et cancellis obstructus, ita loquentis admittebat vocem, ut obtutum excluderet. In aversa et interiori conclavis parte matrona sedens, Sacerdoti extra parietem sedenti ac docenti aures dabat. Alias, ubi non erat ædium copia, feminæ per maritos aut parentes Christianos erudiebantur. Consuetudo quippe Sinica mulieres domo, ut carcere, inclusas virorum aspectu colloquioque prohibet. Laboratum diutius fuit quem ad modum iisdem ministrarentur sacramenta, confitentes audirentur, oleo sacro morientes inungerentur. Censuit * sacra Rituum Congregatio de sententia Summi Pontificis *posse omitti ex gravi necessitate quædam sacramentalia in baptismo feminarum, ac etiam posse omitti ipsum sacramentum extremæ unctionis.* Nihilominus ejusmodi ceremoniæ si paulisper omissæ sunt, ut indulgeretur anxiæ et suspiciosæ Sinensium modestiæ, non tam ablatæ fuerunt, quam dilatæ. Impetratum enim fuit a viris Christianis, ut suas uxores ac filias divinis frui libere mysteriis paterentur; ipsisque Patris Longobardi moderatio perplacuit, qui hanc mulierum institu-

* *anno* 1656.

tionem arctissimis finibus circumscribebat : quippe illas parce, nec nisi coram parentibus aut maritis, alloquebatur. Itaque id brevi perfectum fuit, ut divinæ religionis sanctimoniam admiratæ, totas dederent sese exercitationibus intimæ pietatis. Ausæ quin etiam aliquæ, pudoris virginei florem illibatum, raro inter ethnicos exemplo, Regi virginum consecrare.

In Japonia inconsulta promissionis damna.

Ut religionem prudens et cauta moderatio tuebatur, et ornabat in Sina; sic eam in Japonia voces quædam parum consideratæ graviter perturbarunt. Franciscani, cum intelligerent nihil accidere gratius Daifusamæ posse, quam si naves Hispanæ Japonios portus frequentarent, non dubitarunt ei polliceri fore ut quotannis aliqua pretiosis onusta mercibus eos intraret. Promisso tam liberali delectatus sedem ipsis in urbe Vendo concessit. At Hispanorum navis nulla venit. Conspecti duntaxat aliquot myoparones, iique ad alios portus appulsi. Rem ægerrime tulit Imperator, et vanos promissores, adeuntes salutandi causa, repulit. Hinc diffidere Hispanis, et aurem sermonibus invidorum, ac suspicionibus injectis accomodare. Illas diluere oblatis muneribus conati sunt Hispani aliquot mercatores. Mitigari visus est avarus Princeps, et quasi aliud agens ab iis quæsivit quam multæ naves e nova Hispania in Philippinas, quam prospere vela fecissent? nam illi, ut olim Taicosamæ, vicina in Philippinis potentia

Hispanorum non levem incutiebat metum. Multas venisse naves responderunt, easque armis et militibus refertas. At enim, subjecit, quorsum tot milites, tot arma? Ad redigendas in ditionem Hispanam Molucas, inquiunt. Vocem temere lapsam excepit Daifusama, memor alterius non absimilis, quæ Taicosamam, octo ab hinc annos * efferaverat; nec dubitavit, quin Hispanorum ea mens, et Lusitanorum esset ut sui Regis, non Christi, proferrent imperium, totidemque facerent rebelles, quot Christianos. Pelli continuo Japonia tota Hispanos mercatores imperat : admoniti urbium præfecti pronunciant publice per præconem ne quis religiosos viros excipere, alloqui, alere sustineat.

* *anno* 1597.

His auditis Provinciarum præsides et reguli, quos Principis in Christianos favor coercebat, isto quasi freno soluti, in eorum fortunas, domos, vitam, impetus repentinos fecerunt. Stetere Christi cultores adversus minas et supplicia invicti. Crevit etiam pietatis ardor ex illa temporum acerbitate. Multi, quorum nomina consignata nostris leguntur annalibus, multa et magna fortitudinis heroicæ dederunt documenta, nemo tamen illustriora et ad exemplum utiliora præbuit quam Constantinus Bungi Rex. Aula pulsus, exutus regno, et ægre vita donatus, calamitatis suæ causam agnovit se ipsum et flagitia sua. Ultori Deo gratias egit, et Christianæ pœnitentiæ cruciatibus ultro susceptis

denique consumptus, tantum universo piorum cœtui voluptatis attulit, quantum offensionis antea et mœroris intulerat.

Imperatoris Mogolum mors.

Dispari longe exitu sublatus Mogolum Imperator Sexto Cal. Novembres, veram S. Augustini probavit vocem docentis hac animadversione puniri merito peccatorem, ut qui vivens oblitus est Dei, moriens obliviscatur et sui. Audito ejus morbo Patres ad regiam properabant ut suprema, quæ tempus postulabat, consilia suggererent, obseratas fores nullis precibus aut arte perrumpere potuerunt. Dilapsis deinde proceribus, ab omnibus destitutus periit, qui modo terror Indiæ, belli pacisque arbiter largitor regnorum et prædo erat.

Montium Leænæ Rex fit Christianus.

Sapientius fecit Rex Montium Leænæ in Guinea, qui Fidei mysteriis imbutus nihil interposuit moræ, quin se initiandum sacramento Fidei P. Barreiræ traderet. Constructo summa celeritate templo, rem in eo divinam Pater fecit luce Archangelo Michaeli sacra. Excepit sacrificium concio, qua mire accensa est Regis pietas, adeo ut moram suscipiendi baptismi nullam ferret. Ardorem hunc facile restinguendum Barreira credidit proposita conditione, quæ barbaros ejusmodi Principes a Christiana religione vel maxime deterret. Nempe, inquit, si tibi stat Christo nomen dare, unica sis contentus uxore necesse est. Cui Rex : ego vero, ait, hanc matrimonii Christiani legem novi, et servabo : Regis vicini filiam

delegi, quæ rite baptizata regalis tori una deinceps et legitima consors erit. Mecum sunt in eadem sententia Principes duo, fratres mei. Lætus regali constantia et promisso Barreira, nihil præterea cunctandum esse judicavit. Ergo die constituta ornatur templum : festa lux indicitur civitati; concentibus omnia perstrepunt. Processit Rex inter fratres procerumque florem medius, et adhibitis insigni apparatu quæ tunc usurpantur ab Ecclesia cerimoniis, Philippi nomen accepit. Expiati simul Sacro latice duo ejus fratres et liberi quatuor. Diebus aliquot interjectis Christianos mores idem Rex egregie ostendit, in funere Principis propinqui sui. Nam cum demortui uxores et famuli mactandi essent ad ejus tumulum, quod solemne omnibus Guineæ regnis est, vetuit ne barbaræ consuetudini mos gereretur, quam lege divina prohiberi cognoverat. Idem vicini Regis filio, quicum inimicitias gerebat, ignovit, admonitus Christianorum esse inimicos diligere. Magnam finitimis Regibus movit admirationem a tanto Principe suscepta Christi Fides. Ejus in primis factum approbavit Rex Toræ, omnium Guineæ dynastarum propter insignem prudentiam clarissimus. Explorata diligenter Evangelii doctrina, et perspectis P. Barreiræ moribus, eum per legatos oravit, ut se quamprimum conveniret. Venturum se promisit Pater post natalitias Christi ferias, quæ in propinquo Lusitanorum portu cele-

brabantur. Imo, ait Rex, veniam ipse, et quæ ibi gerantur libenter aspiciam. Ut in ædem sacram bellissime adornatam subiit, liberis et aula comitatus, ut sacram supellectilem, modestiam populi, venerandam augusti sacrificii et ceremoniarum speciem oculis hausit, expleri mirando laudandoque non poterat, nec cessavit instare ut inter filios Dei numeraretur. Hoc ut fieret commodius et splendidius, electa est in ejus regno insula, ubi plerumque morabatur. Sedes templo designatur a Barreira, brevique constructum est, urgente Rege, fabris festinantibus. In eo Rex Christo Regi solemne Sacramentum dixit, accepto Petri nomine; mox peracto e Christianæ disciplinæ legibus matrimonio, Regis Philippi sororem duxit.

Rerum inter Abyssinos prospere gestarum fama in Indiam perlata novos operis feliciter inchoati adjutores exciverat anno superiore. His alii accesserunt, hoc anno, et a Lusitano Prætore Fremonam deducti sunt, ubi statio præcipua catholicorum erat : occurrentibus cum singulari voluptate tribus, qui tunc versabantur in Æthiopia Sacerdotibus Societatis, et obviam effuso Christianorum agmine manus ad libanda pie oscula, certatim prensantium.

Provincia Peruana in partes tres divisa.

Cum vero latius in dies provincia Peruana funderetur, jamque septentrionem versus, excurreret ultra decimum ab Æquinoctiali circulo gradum, et ultra trigesimum, ad meridiem, placuit

eam tres in partes dividere, ut commodius gubernaretur. Itaque duæ constitutæ sunt Viceprovinciæ, una ex iis domiciliis quæ longissime in septentrionem; altera ex iis quæ in Austrum longissime tendebant : media vero pars Æquatori propior, nomen Provinciæ retinuit. Viceprovincia Septentrionalis novum Regnum Granatense complectebatur, in quo Quitense collegium, unde, ipsa Viceprovincia Quitensis est appellata; item Seminarium S. Ludovici; Residentiæ Panamensis, Carthaginiensis et Sanctæ Fidei. In Australi Viceprovincia, quæ Charquensis quoque appellabatur, collegia numerabantur Potosinum et Pacense; Residentiæ Tacumana et Sanctæ Crucis, nec non Missiones aliquot. Provincia continebat collegium Limanum, Domum Probationis, Residentias S. Jacobi, et Juliensem; collegium, seu Seminarium S. Martini, collegia Cuskense, Arequipense, Chilense, et quod modo constitutum est Guamanguense.

Annus Christi 1606 : Societatis 67.

Quod in ratione temporum accidit, ut anni quidam perpetua fruantur serenitate, ac ventis, imbribus, procellisque careant; alii contra tristes, obscuri, eluvionibus, sterilitate, cladibus privatis et publicis veluti damnentur : hoc in imperiorum gubernatione, ac religiosis etiam familiis usuvenit, ut modo rebus prosperis erectæ floreant, modo adversis perculsæ jaceant. Inter annos ejusmodi

tristes ac funestos videtur hic reponendus, quo Societas nostra urbibus Venetis ejicitur, Transsylvania tota cedere cogitur : tres e suis homines egregios ab Anglis necatos, unum diris affectum cruciatibus, alium a Mahometanis, alium a Sinensibus interfectum deplorat.

Paulus V Venetos interdicto mulctat;

Paulus V Pontifex Maximus violari libertatem Ecclesiasticam arbitratus, et Sedis Apostolicæ jura infringi nonnullis Venetorum legibus, curavit monendos ut illas abrogarent, sin minus eorum regionem sacrorum interdictione multandam. Veneti reclamarunt acriter; diuturnam Reipublicæ consuetudinem, aliquot regnorum exempla, opiniones doctorum, et scripta; denique militum arma et paratas acies objecerunt. Pontifex nihil istis motus, interdicti legem quinto Calendas Maias Romæ promulgavit. Veneti vocatis parochis, et religiosarum familiarum præpositis, præceperunt, ne quid in divinis officiis, et solito religionis cultu mutarent, gravissimis pœnis, si quis contra faceret, constitutis, præsertim in homines Societatis, quorum exemplum plerique secuturi videbantur. At Patres gravis incessit sollicitudo, quid in tanto discrimine faciendum videretur. Nihil statuendum ante putaverunt, quam perspecta sibi foret Præpositi Generalis sui sententia, cujus ex mente divinam certo voluntatem interpretarentur. Id vero cognoscere difficillimum idcirco erat, quod Veneti omnes aditus intercluserant, per quos Ve-

netias posset aspirare ac perferri excommunicationis et interdicti lata Romæ lex. Nihilominus opera data fuit ut præpositus Generalis de periculo moneretur, ejusque litteræ ad Patres perferrentur. Illarum summa erat: velle et jubere summum Pontificem ut interdicto mos gereretur; discederent, si liceret; sin minus, Sedi Apostolicæ quovis proposito periculo, parerent.

His acceptis Serenissimæ Reipublicæ Ducem conveniunt, ac significant non sine summo dolore divelli se a clarissimis civibus, quibuscum ipsos necessitudo vetus, pietas, beneficia plurima, suavissime conjungebant. Verum disertis Præpositi Generalis sui et summi Pontificis mandatis ac litteris impositam sibi necessitatem interdicti servandi : certum sibi esse obedire, proposito quolibet, etiam capitis periculo. Stomachanti Duci nec molles minas intentanti, responsum fuit non debere clarissimos senatores gravate ferre si eam Superioribus nostris obedientiam præstaremus, quam ipsimet ab suis inferioribus exigerent : nostrum non esse de lege per summum Pontificem lata disceptare, obsequii duntaxat partes nobis relictas; primam et antiquissimam religiosis viris, ac præsertim Societati legem obediendi et ruram esse oportere.

dimittitur e Reipublicæ Societas.

Constantiam hanc et religionem molestissime Senatus tulit, ac Societatem dimittere statuit certis conditionibus appositis, quæ omnem ei redi-

tum intercluderent. Quinto Idus Maias Patribus exilii lex significata est, et altera post occasum solis hora paratis naviculis impositi, spectante ac mœrente quæ omnem implebat ripam incredibili multitudine, inter amicorum propius adire et colloqui vetitorum lacrymas gemitusque, Ferrariam discesserunt. Ad eumdem fere modum ex aliis Venetæ ditionis urbibus Patavio, Vicentia, Verona, imo ex ipsa insula Creta, migratum est : nec nisi post annos unum et quinquaginta, superatis demum Alexandri VII opera variis obicibus, adducta res feliciter ad concordiam fuit. Interim cum dissidium inter Summum Pontificem et Venetos in gravissimam totius Europæ perturbationem, et religionis detrimentum erumperet, laborabatur ab Regibus Hispaniæ, et Galliæ, ceterisque Italiæ Principibus de componenda pace. Promittebant Veneti se legibus, quæ causam dissidio præbuerant, non usuros, donec ista lis decisa plane foret : daturos operam ut Ecclesiastici ac religiosi viri, qui Venetis urbibus ejecti fuerant, restituerentur, excepta tamen Societate, quam negabant excludi communi beneficio propter causam servati Interdicti, sed propter alias quæ nihil ad Interdictum pertinebant.

Urgebat contra Pontifex restitutionem Societatis, neque adduci poterat ut eam destitueret, quæ omnia potius deserere quam ipsum maluerat, et cujus crimen esse unum intelligebat quod

Sedi Apostolicæ fuisset obsequentior. Meminerat quæ Patribus non semel dedisset promissa, et audiebatur sæpe cum diceret eorum restitutionem suam esse causam, nec illius conficiendæ curam a se, nisi cum ipsa vita, deponendam. Hunc nodum Cardinalis Joyosa, Regis Christianissimi negotiis apud Sedem Apostolicam præpositus, ita solvit. Principio laudavit æquitatem Pauli V et curam restituendæ Societatis, id unum modo peti docuit ut nulla inter conditiones componendæ pacis fieret mentio istius restitutionis: eam nihilo secius brevi conficiendam : satis auctoritatis in Sede Apostolica, satis in Regibus Henrico et Philippo virium et fidei futurum, ut Societatem quamprimum revocandam curarent : id instare modo, id caput esse, ut imminens Romæ, Italiæ toti, atque Ecclesiæ bellum atrox propulsaretur; quo composito cetera facile impetratum iri.

Ita locutus cum Paulo V Cardinalis Joyosa, Aquavivam Præpositum Generalem Societatis aggreditur. Docet in manu ejus esse pacem Italiæ, Pontificis auctoritatem, ejusque onere molestissimi belli et sollicitudine liberandi gloriam, si optatissimam inter illum et Venetos concordiam sanciri, nulla restituendæ Societatis mentione facta patiatur. Dubitari non posse quin Henricus IV pro singulari quo Societatem amplectebatur studio, ejus reditum urgeret acriter, et pro summis suis in Rempublicam promeritis obtineret. Hujusce rei

fideijussor, inquit, Regis nomine, sponsorque sum. Aquaviva probe intelligens eo rem provectam esse ut nec proficere obluctando, nec aliter exsolvere Paulum V periculo curaque posset, annuit, Pontificisque arbitrio Societatis suæ causam permisit, qui Aquavivam humanissime complexus, et novis promissis priora cumulans, pacem continuo ratam esse jussit. Nec sane ipse per sese, nec Regum Principumque oratores voce, scripto, litteris, legationibus, negotium strenue prosequi cessarunt. Veneti alias ex aliis rationes causati, rem usque in annum MDCLVII distulere.

In Anglia, conjuratio pulveraria.

Grave procul dubio vulnus hoc Societati fuit: at ab amicis tamen : illud quod acceptum est ab Anglis eo gravius existimandum, quod a professis Ecclesiæ Romanæ inimicis est ortum. Acerbitatem temporum in Anglia, ægerrime ferebant catholici. Regem allocuti cum se nihil proficere viderent, immane facinus, inita inter paucos conjuratione, sunt aggressi. Dux illorum Catesbyus, juvenis genere, opibus, ingenio præstans. Indicta fuerant Ordinum regni comitia. Londinum undique confluxerant proceres, et quidquid inimicum præcipue catholicis atque infestum erat. Igitur subter ingentem aulam in quam Senatus (Parlamentum Angli vocant) cum Rege congregandus erat, magnam vim pulveris nitrati congerunt, et igne subjecto, aulam, Regem, omnem consessum perdere constituunt. Quamvis nihil æque cave-

rent, quam ne quid infandi consilii suboleret Patribus Societatis; tamen P. Henricus Garnetus ex illorum sermonibus, ex insolita trepidatione, ex silentio interdum truci, ac tetrico vultu, persensit aliquid ab iis in publicam perniciem moveri. Suspicionem suam Præposito Generali Societatis aperuit. Rescripsit Aquaviva omni ope suadendum catholicis, ut violenta deponerent consilia, ipsis ac religioni funesta. Ita sentire Summum Pontificem; ita jubere. Has Catesbyo litteras Garnetus ostendit. Ille omnia pernegare, imo iter in Belgium similare ad Archiducis castra, ut ibi contra Batavos fœderatos depugnaret; arma, equos, milites parare, quo longius Patres, et populum ab omni suspicione avocaret. Nihilominus secum reputans magnitudinem designati facinoris, Pontificis jussa, periculi, si res male caderet, gravitatem; timuit ne quid in eo consilio, quod Religionis causa suscipiebatur, flagitii lateret, Garnetumque consulere decrevit. Patri Greenvello, dum apud eum peccata deponeret, meditatum facinus, interposita sacramentalis arcani religione, confitetur, facitque potestatem negotii cum Garneto communicandi : ea tamen conditione, inquit, ut neuter vestrum aperire quod modo loquor tecum possit, antequam id aliunde sit vobis compertum, ac tamdiu arcani sacra lege uterque vestrum teneatur, dum res tota patefacta sit. Garnetus, supra quam dici potest expavit, ejusque

jussu Greenwellus nihil intentatum reliquit quo juvenem obstinatum flecti frangique posse crederet. Hoc unum impetravit ut per otium secum et cum suis deliberaret. Instabant illi nihilo secius, paratisque omnibus, diem comitiarum anxii exspectabant, cum præter spem et mira Numinis providentia, illo ipso die ad primum Senatus consessum destinato (Nonæ Novembres erant) conjuratio deprehenditur. Mature Londino digressi conjurati partim evasere fuga; nonnulli comprehensi; pauci vicinas in ædes nobilis catholici Hunfredi Littletoni se receperunt, unde prorumpens in circumfusos ædibus milites Catesbius, eorum telis concisus est.

PP. falso accusantur.

Magnam Regi populoque voluptatem attulit evulgata conjuratio, majorem regiis administris, qui Patres nefariæ conspirationis reos facere ardebant. Ac primo quidem exprimere a conjuratis qui fuerant comprehensi vocem aliquam conati sunt, qua niti dolosa posset accusatio. Verum conjurati palam de omnibus, et nonnulli de singulis, nominatim prædicarunt ipsos in hoc negotio partem nullam habere. Speraverunt judices aliquid indicii se reperturos, si P. Henricum Garnetum haberent in potestate, quo uno catholica res in Anglia stare videbatur. Diverterat cum P. Eduardo Oldcorno in ædes viri nobilis ad tertium ab urbe Vigornia lapidem. Hic ambo proditi a perfido catholico, et capti Londinum trahuntur. Garnetus ter et vicies

ad dicendum causam vocatus coram selectis judicibus, et in omnem agitatus concussusque partem ita respondit, ita suam probavit innocentiam, ut nihil invenerit veteratoria calliditas ad quod adhæresceret. Promptum illud quidem ac perfacile erat damnare Garnetum eo nomine, quod Sacerdos, quod Jesuita foret. Hæc duo quippe crimina capitalia censebantur. Satis hoc ipsis visum non est, nisi ad inurendam nomini catholico notam perduellionis, tamquam conjuratorum dux necaretur. Ad novas artes igitur ut aliquid ab eo extunderent confugerunt. Duo ergastula medius paries dividebat, vacuus certo in loco et hominum aliquot capax. Eodem in pariete rima seu foramen erat de industria sic pertusum, ut vitiosi muri fortuitus hiatus videretur. Per hanc rimam commeare vox ab uno carcere poterat ad alium vicinum et doloso isto pariete divisum, ac simul ab iis audiri qui laterent in excavato pariete. In uno ex istis ergastulis P. Henricus Garnetus tenebatur; in alterum transferunt P. Eduardum Oldcornum : cui custos carceris rimam ostendens, promittit ingentis beneficii loco, daturum se operam ut colloqui cum Garneto possit. Idem Garneto significatur. Succedunt ambo ad fallacem rimam : sciscitanti Oldcorno quid ageretur, quonam ipsius causa loco esset? respondit Garnetus nihil inventum esse, nec inveniri posse, quo probaretur auctor aut particeps conjurationis : sane sibi facinus impium

sero indicatum, et a se omni ope quamquam frustra prohibitum : sed ne indicium facere posset impeditum sacræ confessionis religione fuisse, in qua id negotii sic fuerat ipsi declaratum, ut simul vetaretur verbum de illo cuiquam facere antequam tota conjuratio in lucem erumperet. Hæc verba sunt ab iis excepta qui latebant in cœcis vitiosi muri penetralibus, et ad judices delata. Evocatur Garnetus, objicitur illi suum cum Oldcorno colloquium. Sensit se proditum, ac rem totam candide confessus, adjecit nihil a se prætermissum fuisse ut machinatorem tetri facinoris deterreret. Visum esse Catesbyum saniora cepisse consilia, quin etiam promisisse nihil se, nisi probante Summo Pontifice, tentaturum. Quod si fecisset, nihil erat periculi, cum suam mentem Pontifex aperte declarasset.

Evocatur P. Garnetus,

Hac tam sincera, tam sancta denuntiatione judices attoniti, hæsere distractis in diversas partes sententiis. Erant qui satis esse flagitii crederent quod conjurationem cognitam non indicasset. Alii fatebantur servandi arcani necessitatem catholicis Sacerdotibus omnino esse impositam, idque religionem piis, rationem peritis, ipsam naturam indoctis persuadere. Quocirca ejus arcani defendendi causa toleratam necem non dedecori, sed honori catholicis fore contendebant. Itaque novis et exquisitis cruciatibus conati sunt a Garneto extorquere ut conjurationem fuisse sibi aliunde quam

torquetur,

e sacra confessione cognitam, aut ejus etiam aliquam partem ad se pertinuisse, fateretur. Cum neutrum tormentis, dolis, appositis testibus, efficere potuissent, nihilominus promulgarunt tanquam confessum probatumque crimen, auctores conjurationis, architectos et duces Garnetum, Oldcornum, aliosque Sacerdotes Societatis extitisse. Hoc nomine P. Eduardus Oldcornus primum Vigorniæ suspensus est, septimo Idus Aprilis. Eboraci lucem hauserat. Inde Remos in Galliam a parentibus missus, biennio post Romam venit, annum ætatis agens primum et vigesimum : ibique annos fere septem philosophiæ ac theologiæ operam dedit. Adscitus in Societatem anno MDLXXXVI remissus illico in Angliam est, ubi sexcentis suppliciis ad gloriosam mortem præparatus, eam libenter subire se religionis catholicæ causa professus est. Ad Garnetum spectandum, cum in Londinensem plateam produceretur, quinto Nonas Maii, turba concurrit ingens. E theatro, in quo patibulum ipsi constitutum erat, Catholicos ad obedientiam ac tolerantiam, alios ad avitam religionem repetendam cohortatus, Romanam laudavit fidem, pro cujus sanctissimis legibus se millies, si liceret, moriturum affirmavit. Hanc adhortationem exceperunt preces pro Rege, pro senatu, pro carissima patria, pro se : quibus peractis in scalas patibulo admotas evasit incredibili vultus animique serenitate. Ingemuit multi-

necatur cum P. Oldcorno,

tudo, cumque tortor succidere pararet restem, antequam animam efflasset, clamore sublato prohibuit. Eodem vero carnifice avulsum pectore cor manibus cruentis, ut assolet, monstrante; omnes lugubri et eloquenti silentio innocentiam optimi Sacerdotis prædicarunt; aut si qua vox audita est, eorum fuit qui dicerent nequaquam hanc proditoris mortem esse. Annum ætatis agebat primum et quinquagesimum, trigesimum primum in Societate, vigesimum a suo in patriam reditu, in qua per decem et octo annos Sociis præfuerat; dotibus omnibus quæcumque virum apostolicum commendant, ornatissimus.

cum Fratre Nic. Odoeno.

Operam P. Garneto et catholicis pridem navabat adjutor domesticus Societatis, Nicolaus Odoenus, sive Owenius, Anglus. Non alius eo peritior feliciorque ad excogitandas latebras, et vivorum sepulcra, in quibus abditi sacerdotes lynceos vel acutissimi exploratoris oculos fugiebant. Ea cum fama percrebruisset, incredibili studio ad eum comprehendendum excubabat satellitum industria, qui multos hoc uno capto capiendos judicabant, quippe qui omnia pernosset latibula, et illis patefactis, nihil moræ futurum arbitrabantur, quin Sacerdotes plerique omnes, aut comprehenderentur, aut Anglia excederent. Itaque postquam Odoenus in eorum inciderat manus, exclamarunt : nunc denique refossa talparum cubilia, nunc patere latebras

sacerdotum, explicandam vim omnem tormentorum ut Odoenus indicare quæ norat, cogeretur. Nec mitiora dictis fuere facta. Pertractus in cruciatuum officinam, nunc sublime attollitur, molari saxo pedibus alligato; nunc in equuleo distenditur, idque aliquando per septem horas continenter, quamvis hernia gravissime laboraret, quo affecti morbo eximuntur per leges ejusmodi cruciatu. Veriti tortores ne rumperentur ei viscera, substrinxere ventrem ferreo circulo, ut diuturnæ morti sufficere vita posset. Nulla vox interim, nisi suavissimum Jesu nomen audiebatur, quo dolores acerbissimos Dei famulus leniebat. Indignati silentium et patientiam carnifices contendunt brachia, adducunt equulei fidiculas tanta vi, ut lacerata demum alvo, effusisque intestinis exenteratus et exanimis jacuerit.

Tam barbara et inaudita crudelitas invidiam quam regii satellites conflare catholicis parabant, in ipsos retorsit. Eam ut lenirent, Sacerdotes exilio donaverunt, gravissimis pœnis nisi Anglia tota statim omnes excederent, constitutis. Remanserunt non pauci, religionis clam tutandæ studio. In iis deprehensus P. Thomas Strangeus, tam diros cruciatus pertulit, ut debilitato corpore, manibus pedibusque distortis; delumbatus, inutilisque totis triginta, quos postea vixit annis, languerit. Vivere tamen eum et abire coëgerunt, quia nihil in eo fere perimendum restabat; li-

P. Thomas Strangeus discruciatur.

berum esse, quia nihil ei reliquerant liberum præter vocem et constantiam. Cum in equuleo distenderetur, aiunt accessisse theologum politulum, e Calvini schola, disputare gestientem. Cui Strangeus : scande, inquit, mecum in hoc pulpitum, ut æquo morte campoque pugnemus.

Pulsis magnam partem Sacerdotibus, adhibita est nova machina ad labefactandam laicorum fidem. Juramentum fidelitatis vocabant. Hujus machinæ primordia licet in hunc annum incidant, quia tamen acrius incuti cœpta est anno sequenti, commodius ibi tractabitur, ut prima cum extremis juncta clarius appareant. Reliquas autem præsentis anni clades percurramus.

Transylvani PP. expulsi,

Botskaius Transsylvaniæ Princeps hæreticorum calumniis, et declamationibus fatigatus, renunciavit Patribus cedendum tota Transsylvania. Non posse aliter placari proceres ipsis infestos : se hactenus tutatum Societatem esse; nunc eo rem deductam ut obniti ultra non possit sine periculo et nostro et suo. Patres refutarunt accurate quæ objiciebantur : nullam a se injuriam in Principem, nullam in populum ortam esse demonstrarunt. Nihil aliud responsi datum, quam aliter fieri non posse. Itaque vim ultimam veriti, et militari stipati præsidio in Poloniam recesserunt. Ne ipsa quidem Polonia satis tuta ipsis erat, ubi malevolorum in nostros odium augebat eximius in Societatem Sigismundi Regis amor, qui per Socios

et in Polonia vexati.

institutus ab ineunte ætate, iisdem ad sacram confessionem, ad conciones, ad consilia frequens utebatur. Addidit animos adversariis Societatis populi tumultus, de publica re male administrata conquerentis; jamque seditiosi ad triginta millia coiverant, quibus conjuncti hæretici palam postularunt ut Societas aula, deinde Cracovia, et primariis regni urbibus, ejiceretur. Seditiosos Rex, armorum metu, demum clementia, exarmavit. Causa Societatis ad comitia sequentis anni rejecta est. In iis amplissimum decretum in ejus laudem conditum, metum omnem, periculumque discussit.

Vincentius Alvarus cæsus a Mahometanis,

Geminam narratis hactenus cladibus addimus victimam; alteram furori Mahometanorum; alteram invidiæ catholici Sacerdotis, immolatam. Vincentius Alvarus Goam proficiscens ut operam theologiæ daret, incurrit in Mahometanorum naves. Lusitani quibuscum vehebatur, deditionem facere coacti post longum certamen, de suorum capite ac vita pacti sunt. De pretio convenit; sed conditio a prædonibus est apposita, ut ceterorum numero eximeretur Vincentius, cum P. Antonio Veloso ejus Socio Sacerdote, quos sibi mactandos reservarunt. Hujus exceptionis causa erat, quod molestissime ferrent nonnullos proceres Mahometanos, opera Societatis, ejurasse Mahometem ut Christum profiterentur. Conceptum igitur in omnes Jesuitas odium, istorum quos habebant in manibus cruore satiare decreverunt. Repugnabant

acriter Lusitani, neque ullas deditionis leges, nisi hæc tolloretur conditio, admittebant. Dum sic altercantur, ventum est ad urbem ubi nummos in deditione pactos numerari ab argentario Lusitano oportebat. Vectores Alvarum delegerunt qui excenderet in littus et pecuniam ex oppido deportaret. Ille obeundæ pro Christo necis avidus, tum etiam adductus charitate qua Socii vitæ magis consulebat quam suæ, persuasit ut P. Velosus eas partes susciperet. Ivit Sacerdos, at redire ab argentario et amicis vetitus est. Quieverunt Mahometani, ne qua pecuniæ numerandæ fieret mora, et in unum Alvarum rabiem, quam in ambos paraverant, effuderunt. Constrictum raptant ad navigii proram, maledictis et verberibus onerant. Provolutus in genua pias concepit preces, et cervicem acinaci barbaro præcidendam obtulit. Agebat annum ætatis septimum et vigesimum. Oriundus Ferreira, oppido Lusitaniæ, venerat in Indiam anno MDXCIX.

Martinez in Sinis.

Sex duntaxat annis major Alvaro erat Franciscus Martinez cum Christiani Sacerdotis invidia periit. Vicarius Episcopi Macaensis offensum se a Rectore collegii perperam existimans, eo usque exarsit iracundia, ut Societatis homines imperio Sinensi exterminare decreverit. Mandarinos convenit : affirmat Patres id unum moliri, ut simulatione religionis invadant imperium et Imperatorem solio deturbent. Classem Batavorum, quæ

ab aliquot mensibus mare Sinicum concursabat, eo consilio adductam. Adfuturas in tempore copias e Philippinis et Japonia. Hæc aliaque plurima sibi comperta et explorata esse docet. Perculsi metu Mandarini Quantuniæ provinciæ, quæ proxima collegio Macaensi, copias et ceteram belli supellectilem terra marique comparant. Cives armantur, geminantur excubiæ, portæ urbium muniuntur, velut hoste jam imminente. Impetus fit in Patrum domicilia, qui vix periculum effugerunt amicorum præsidio, et latendi sagacitate. Franciscus Martinez cum expedire fugam tempore nequivisset, morbo implicatus, rapitur ad præfectum urbis, et accusatur tamquam Patrum satelles, Lusitanorum explorator, hostis Patriæ. Nitratum pulverem ab eo coëmptum, parata arma, conjurationem initam, testes appositi juratique denuntiant. Mandarinus crudelissime cæsum in carcerem detrudi jubet. Postridie rursum evocat, urgetque, ut non cunctetur de Patribus et Lusitanis, quidquid sciat, aperire. Promissis minas cruciatuum gravissimorum et necis adjungit. Cui sedate Martinez, se Christianum, se Religiosum Societatis Jesu esse respondet : nihil de commentitia conjuratione rescivisse; nihil in patriæ perniciem molitum unquam fuisse. Quibus verbis accensus furore barbarus pronum humi sterni, ac sexcentis obrui plagis imperat. Cum emori cerneret, reportari jussit in carcerem, cujus in limine

animam efflavit, pridie Calendas Apriles, ætatis anno tertio et trigesimo, in Quamcheo, provinciæ Quantuniæ urbe primaria.

Venit per eos dies Quamcheum primi Ordinis Mandarinus, Pekino missus, ut provinciam gubernaret, deque isto tumultu, et conjuratione cognosceret. Hunc supplex adiit P. Longobardus, utque causam Patrum et Francisci Martinis expenderet, obsecravit. Ille, ut erat vir probus, et Riccium Pekini, Patres alios aliis in locis perspexerat, negotium impigre suscepit. Testes privatim Mandarinus, urbiumque præfectos, publice interrogavit. Omnibusque perpensis fictam conjurationem, Patres et Lusitanos vacare culpa pronuntiat: judicem improbum, a quo deditus neci Martinez fuerat, exprobrato scelere constringi, et ad Proregem, ut merito supplicio plecteretur, imperat pertrahi. Sinensis erat Franciscus Martinez, primus ex illa gente Societatem ingressus, et ad sacros ordines si vita suppeditasset, promovendus.

Felices progressus in Asia,

Tot suorum necem, tot clades acceptas in Venetia, in Anglia, in Transsylvania, in Polonia, in Sina, in Philippinis, ubi multa Socii perpessi sunt a barbaris, consolata est Societas propagatione religionis in Asia et Africa in regnis Siamensi ac Madurensi, in Guinea et regno Angolano; in Europa denique ubi domiciliis, fama, viris aucta feliciter est. Cum Ternatam, Molucarum facile principem, Lusitani recepissent, collegium Patri-

bus restitutum fuit : qui ad reparandas religionis clades in vicinas insulas continuo discessere, ubi multorum Christianorum fides a Saracenis, flagrante bello, valde fuerat labefactata. P. Gabriel a Cruce quadringentos in insula Tolo incolas sacris lymphis abluit, ducentos in Ecclesiæ gremium reduxit : totidem in vicina insula; mille trecentos in alia, plures paucioresve in aliis. Rex insulæ Cionis in Christi quidem fide et Lusitanorum amicitia manserat cum suis; mores fidei non respondebant. Eos pristinum in decus P. Ant. Pereira restituit. Regulus insulæ vicinæ, qui filiam suam regi Cionis collocabat in matrimonium, eam, seque cum suo regno in Christi jura transcripsit. Divinæ pariter legis magistros enixe postularunt Principes insularum Manadæ et Cauripanæ, in quibus aut infidelium regnabat impietas, aut fidei purissimus nitor vitiorum sordibus obsoleverat. Lustrata similiter insula Mauri, fecunda illa S. Francisco Xaverio laborum juxta et meritorum seges : nec non Morotaja, cujus tria oppida idem Indiarum Apostolus Evangelio subdiderat : sed cultoribus destituta desciverant ad Alcorani fabulas audiendas. Insularum Boi et Titolæ proceres ac Tetrarchæ ad Christi vexillum cupide convolarunt.

Magnum Lusitanis fuit Ternatam Ethnicis eripuisse, majus a Batavorum incursu Malacam defendisse. Commisso prælio sex Societatis Sacerdotes inter navium stragem et fulmina tormento-

torum huc illuc, quo certantium Lusitanorum ardor, quo morientium clamor vocabat, ferebantur. P. Joannes Abreus e sua dejectus navi feliciter enatabat, cum in Batavorum prætoriam vento delatus, ab iis trucidatus est. Blasium Pereiram ejus Socium paulo ante peremerant.

Siami Rex Lusitanis, qui Malacam contra Batavos fortiter propugnaverant, per suos oratores gratulatus, Patres in regnum suum invitavit; unum præ ceteris, quem pridem norat, P. Tristanum Golayum. Ille Siamum profecturus comitem expetiit P. Balthasarem Sequeiram, qui a P. Provinciali monitus, ut exploraret, ecqua spes propagandi tanto in regno Evangelii ostenderetur, pervenit regiam in urbem cum P. Golayo, paulo ante Paschales ferias, operamque perutilem, et pernecessariam navavit Christianis compluribus, eo convenire solitis, imo ipsis ethnicis, quorum nonnullos vitali aqua Christo, cœloque peperit, maxime parvulos, statim a baptismo meliorem in vitam transmissos. Manus etiam cum Talapoinis (sic vocantur gentis doctores) conseruit, quorum deliramenta pronis auribus misera plebs bibebat. Rex ipse non semel disserentem audivit, nec illum ante missum fecit, quam in ejus locum alius Societatis Sacerdos subrogatus esset.

et in Africa.

Quem religioni ac Societati favorem verbis promissisque rex Siami præstabat; eumdem rebus ipsis ac factis præbebant Guineæ reges, Pe-

trus et Philippus Christianam, anno superiore legem professi : quorum hic amplissimas ad regem Lusitaniæ litteras dedit, et Rege vere Christiano dignissimas. In iis significabat, non solum fratres et liberos, sed populum omnem suum divinam adoptionem baptismo fuisse consecutos : postulabat Societatis Sacerdotes, qui bene cœpta promoverent, ac futurum spondebat ut quamlibet multi venirent iis rei nullius deesset copia. Petrus rex Toræ, decennem filiolum suum erudiendum et baptizandum Patribus dedit, ac paulo post alterum biennio majorem. Illud studebant in primis Patres, ut præclaram de religione existimationem defigerent in principum puerorum mentibus; satis gnari, altius hærere quæ rudibus annis animisque mandantur; et ut quidque plurimi fit, ita cupidissime arripi, ac retineri.

Supererant in regno Angolano tres duntaxat Societatis Sacerdotes; ceteris labore vel morbo consumptis. Venere subsidio PP. Eduard. Vazius et Franciscus Goisius, cum fratre, rei domesticæ adjutore. Confestim in regionem interiorem e Loandæ portu progressi, manum operi admoverunt. Primus illis et pernecessarius labor in oppidulo, cujus incolæ quamvis initiati sacramento salutis, gravi tamen rerum divinarum inscitia laborabant. Quin, templum retinebant vetus, in quo spectabantur ossa elephantorum et testudinum, caprarum capita, ridiculæ hominum formæ;

prisca loci numina, et tristes erroris antiqui reliquiæ. Omnes flammis datæ.

Missio Madurensis.

Non tam cito, sed multo longius in posterum processit in regno Madurensi cursus catholicæ religionis, auctore ac duce divinitus destinato P. Roberto De Nobili, quem P. Gonsalvus Fernandes annis et laboribus confectus successorem accepit. Is admirabili via, successu pene incredibili, Evangelium Madurensibus intulit. Felix ejus conatus nunc veluti tentare littus et vadum ausus, in altum deinde pelagus cœlo juvante provectus est, ut anno sequente commodius explicabitur, cum hic MDCVI mole rerum ac numero abundet.

Collegia fundata.

Augerent hunc numerum plus justo Collegia Molinense, Cadurcense, et Viennense in Gallia hoc anno fundata; OEnipontanum in Germania; Adriense in Italia, et Niciense, cujus duriora paulo initia suavitatem serenissimam pepererunt. Quæ omnia in Historiæ quinta Parte fusius exponuntur.*

* *Lib. XV. n.° 22.*

Annus Christi 1607 : Societatis 68.

Fidelitatis juramentum in Anglia propositum,

Post funestam illam conjurationem in Regem Angliæ conflatam, Rex quasi ad probandam suorum fidelitatem, proposuerat omnibus juramenti quamdam formulam, qua singuli profitebantur, se mansuros in fide et potestate principis; certis conditionibus, quæ Romani Pontificis jus et auctoritatem imminuebant. Monitus Pontifex scripserat * neminem salva fide catholica et sine detri-

* *die* 22 *Sept. an.* 1606.

mento æternæ solutis obligare se isto juramento posse. Blakvellus Archipresbyter, cum cerneret catholicos, qui dicere sacramentum hoc recusarent, spoliari bonis, in ergastula compingi, ad ignominiam nudos et egentes, amissis cum avita nobilitate opibus traduci; putavit, illos aliqua interpretatione adhibita jurare in Regis verba posse : Pontificis mentem de re tanti momenti diligentius exquirendam. Rescripsit Paulus V decimo Cal. Septembris : causam omnem a se diligenter cognitam et expensam fuisse; et iterum præcepit, ne quis impium præstaret juramentum, aut mentem Sedis Apostolicæ aliena interpretatione torqueret. Dum istæ litteræ in Angliam perferuntur, Blakvellus in vincula conjectus et suppliciorum concussus metu, non modo juramentum edidit, verum etiam catholicos ubique hortatus est, ne se præeuntem sequi dubitarent. Illi, hinc litteris Pontificis, inde tormentorum acerbitate, varias in sententias distracti, Angliam omnem altercationibus, dissidiis, luctuque miscebant. Quod cum Rex intellexisset, non dubitavit conscribere juramenti defensionem, quasi mere civilem obedientiam, cuilibet Principi debitam, reposceret a catholicis. Regio libello titulus erat præfixus *Triplici nodo triplex cuneus : sive, Apologia pro juramento fidelitatis*. Regis ipsum nomen tacebatur. Huic apologiæ responsum fuit primo quidem anglice a P. Roberto Personio :

condemnatur a Paulo V.

Defectio Blakvelli.

Libellus a rege conscriptus,

et ad illum Responsa.

postea latine a Cardinali Roberto Bellarmino, sub nomine Matthæi Torti : erat iste domesticus ejusdem Cardinalis, et illius sacelli custos. Rex de Bellarmino graviter questus, scripsit ad Imperatorem aliosque Principes Christianos epistolam, seu *Præfationem Monitoriam*, ut vocat; in qua se auctorem prioris libelli non obscure prodit, stimulatque omnes ad excutiendum jugum Pontificis Romani, quem appellat apostatam, tyrannum, Antichristum. Istas voces hauserat a suis magistris, regiæ dignitatis ac moderationis oblitus. Hunc Bellarminus altero scripto uberiore docuit, continere se intra regiæ potestatis ac scientiæ limites. Idem scripsit quarto Calendas Octobris insignem epistolam ad Georgium Blakvellum, Archipresbyterum, qui juramentum Fidelitatis, ut antea dictum est, mortis metu subscripserat. Hominem multis hortabatur ad pœnitentiam : sed frustra. Nullis vel precibus, vel objurgationibus adduci potuit, ut sententiam mutaret : quin eo devenit infelix, ut palam cultum sacris imaginibus adhibere, ac solita catholicæ religionis obire munia formidaret.

Constantia PP. Wrigthi

Quam senior Sacerdos constantiam abjecit, hanc laici fortes e media plebe præstiterunt, nec partes suas desiderari passi sunt homines Societatis, in quibus P. Guillelmus Wrigthus, octavo postquam reversus in patriam fuerat mense, in exploratorum manus incidit. Materia criminis et

accusationis oblata statim est, juramentum fidelitatis. Quod cum acriter oppugnaret Wrigthus, propugnante nequicquam Cantuariensi pseudoarchiepiscopo, diu multumque certatum est. Sed cum præsul imperitus nihil haberet, quod catholico Sacerdoti opponeret, convicia, minas, vincula reposuit. Magnus continuo ad invictum pugilem, e remotissimis etiam locis factus est concursus non gratulantium modo proborum, sed hæreticorum etiam doceri vel disputare studentium. Wrigthus comiter, ut solebat, omnes accipiens, solem perspicuæ veritatis ingerebat oculis mirantibus : quo fructu paulo post intellectum est. Nam unus inter mendacii magistros celeberrimus, depositis honoris insignibus, et repudiato lauto censu, procul abiit cum omni familia in regionem, ubi regnabat Fides catholica. Alter quæstuosam ministri erroris professionem palam abdicare non dubitavit. Mitto sexcentos alios inferioris notæ. Quibus auditis Rex, cum tortores in Wrigthum immittere pararet, incœpto parumper destitit, ne juramenti causam probare tormentis velle videretur, quam manifestis niti rationibus declaraverat. Deinde speravit fore, ut commodius et occultius periret in carcere, oppressus ærumnis et pestilentia, cui jam strages aliquot per Angliam edenti aditus in Londinensem custodiam idcirco negatus valde non est. Qua usus occasione Dei famulus non paucos partim hæresi liberavit, partim pie

mortuos composuit. Carceris custodes pauci, aliis malo sublatis, et de propria salute magis quam de vinctorum custodia solliciti, vacuum pene carcerem servabant negligentius. Itaque locum dederunt catholicis astu emittendi Sacerdotis carissimi; qui eorum ope per noctem elapsus, in provinciam Leicestrensem transiit, ubi annos complures patriæ juvandæ feliciter impendit. * Regis satellites et administri mœrore amissæ talis prædæ efferati, eam sarcire laborarunt investigandis hominibus Societatis, qui amplius quinquaginta per Angliam sparsi rem catholicam gerebant.

* *obiit anno* 1639.

et Balduini.

Unus in lictorum incidit manus P. Guillelmus Balduinus. Continuo clamant omnibus excruciandum suppliciis; quippe reum, ut affirmabant, conjurationis a nitrato pulvere cognominatæ, imo proditorem patriæ certissimum. Notus erat P. Balduinus et carus Alberto Archiduci Austriæ, qui simul atque captum illum cognovit, scriptis ad regem Angliæ haud mollibus litteris, flagitavit, ut in Belgium sibi remitteretur. Promisit Rex nihil ipsi molestiæ creandum, aut periculi, si probaretur innocens. Causa instruitur: proferuntur acta Londinensis fori contra Jesuitas conscripta, ex quibus Balduinus conjurationis convincendus omnino dicebatur; excutiuntur apices vel minimi, argumenta, testimonia inter se componuntur. Non modo certi nihil inventum, sed ne probabile quidem ad probandum crimen. Itaque Balduinus

vacare culpa pronuntiatus est ab ipso Rege. En quibus actis freti Casanbonus, Abbottus, Lancellotus, aliique scriptores crimen perduellionis et conjurationis impingere Societatis hominibus non cessarunt!

Watense Seminarium.

Cum interim tot hostibus appetita religio magnos in Anglia progressus faceret, cresceretque in dies numerus adolescentum qui, juvandæ patriæ studio, admitti postularent in Societatem; quæsitus est locus aliquis opportunus, ubi omnes collecti facile tirocinium ponerent. Ad hanc enim diem in varias divisi domos vicinarum Provinciarum instituebantur; quod cum minus commode fieret, præterea eorum multitudo Provinciis esse cœperat oneri. P. Robertus Personius Anglicæ Missionis præfectus, sedem aliquam in Belgio, vicinam Seminariis Anglicanis vestigans, Watenensem pagum in finibus Flandriæ et Artesiæ huic operi destinavit. Probavit consilium Episcopus Audomaropolitanus; laudavit Paulus V; Aloysia Caravaglia, Hispana virgo, insigni liberalitate promovit. Cum autem Angliæ regis Orator, arcem quandam contra patriam excitari questus esset, et ægre mitigari posset; posita est eadem domus Probationis hoc anno Lovanii : deinde translata Leodium, ad extremum Watenas fuit revocata MDCXXII.

Res Transsylvaniæ.

Conspirarunt pariter in Transsylvania Calviniani ad exturbandam Societatem. Mortuo

Botskaio, infelicis Provinciæ regimen accepit Sigismundus Rakocius, Hungarus, et Calvini discipulus. Mathias, Rudolphi Cæsaris frater, tunc Archidux Austriæ, nihil prius a novo Transsylvaniæ principe postulavit, quam ut ejectam Societatem Jesu restitueret. Respondit ille rem ad Comitia, quæ Claudiopoli habebantur, esse referendam. In iis adversarii Societatis, cum essent numero prævalidi, Societatem his verbis proscripsere : *De religione deliberavimus, ut juxta articulos antea editos, omnes in sua religione sine impedimento conserventur : sed Societatis Jesu secta e ditione Illustrissimi Principis excedat.* Assensit Comitiis princeps, testatus tamen litteris publice datis *Patres Societatis Jesu non ob ullum delictum, verum ad instantiam sequentium contrariam opinionem Romanæ et Catholicæ Fidei, esse deturbatos.*

Varia sors aliquot Collegiorum.

Ejecta quoque Montepolitiano per insignem calumniam ante aliquot annos Societas, hoc demum anno fuit restituta, cum auctor calumniæ inustum Patribus opprobrium recantasset. Gedano pariter pulsa per civilem tumultum, de quo facta mentio anno superiore; in eam urbem ita rediit, ut precarium ægre spiritum diu traxerit. At ejecti sæpius Tornaco Patres fraudibus hæreticorum, nunc demum catholicorum studiis revocati, alterum in eadem civitate domicilium posuerunt, nempe sejunctum a collegio, ubi hac-

tenus tirones habitaverant, Probationis domum. Hagenoæ gymnasium urbanum regebat Lutheranus Gymnasiarcha. Eo pestilentia sublato Senatus illud Societati, quæ stationem in civitate jam habebat, tradidit. Lingonense in Gallia modo designatum, sed anno tantum MDCXXX constitutum, et inchoatum. Nivernensi manus ultima hoc anno accessit, item Carpentoratensi, et Ambianensi. Datus aditus in Vallesiam, et sedes apud Aragnenses collocata. Dilinganæ Academiæ possessio confirmata Societati et in perpetuum stabilita; Græcii, fundatum fuit ab Archiduce Austriæ Ferdinando, postea Imperatore hujus nominis secundo, Seminarium, et ab ejus nomine vocatum Ferdinandæum.

In Madura P. Roberti de Nobilibus

Distulimus missionis Madurensis initia, prodigii simillima, in hunc usque annum quo per P. Robertum Nobilium feliciter est constituta. Ille Maduram anno superiore ingressus, paucos admodum indigenas eosque duntaxat ex infima plebe, Christo dare nomen obstupuit: quamvis Patres nulli parcerent operæ ac labori ad propagandam religionem. Causam ingratæ sterilitatis in agro tam bene culto perscrutatus hanc esse deprehendit, quod Patres certas Madurensium consuetudines ac leges negligerent, ac præsertim illam, quæ cives honestioris ordinis a fæce populi secernit, ita ut neque commercia, neque doctrinam et sacra inter se habeant communia.

Itaque in duas veluti classes (castas indigenæ vocant) tota respublica dividitur. Prima continet optimates et primores, quorum nobilissimi censentur et doctissimi Brachmanes Saniassii, et Pandari, tum Raiæ, Chustres etc. Altera continet Paravas et Parias, ignobile ac rude vulgus, adeo despectum et invisum, ut excidant nobiles gradu suo et nobilitate, si cum iis versari deprehendantur. Ad eos tamen erudiendos cum se applicuissent initio, ac familiariter iisdem postea uterentur homines Societatis, nemo paulummodo honestior ad eos accedere, illos audire aut illorum amplecti sacra sustinebat. Christum vero ut vilissimæ gentis Deum, ac ne Deorum quidem in numero censendum putabant. Religionem ab hac ignominia vindicandam, et gentis primoribus arte nova insinuandam P. Nobilius suscepit. Ac primo quidem præter sermonem, vernaculum perdiscere studuit principum linguam, et aulicam, itemque linguam eruditorum, qua conscripta sunt arcana religionis et mysteria, et alia ingenii doctrinæque monumenta, quæ cognoscere singillatim et excutere laboravit.

insignis industria.

Ita comparatus prodit in lucem et se Brachmanem ac primæ classis nobilem profitetur; id quod vere prædicare poterat, quippe qui e nobilissima inter Italicas gente ortus. Summos Pontifices Julium III et Marcellum II, Cardinales Sfortiam et Bellarminum, aliosque principes viros

cognatione attingeret. Ut percrebuit fama nobilis Christiani principisque, mirari omnes ac de ipsius nobilitate diligenter inquirere; testes ab ultima usque Europa petiti, et testimonia publicis tabulis consignata, nihil denique omissum, ut ejus natales et stirpem certis argumentis exploratam haberent. Postquam hoc primarium caput abunde probatum fuit, neque quidquam Patri Nobilio cum Paravis et vulgi fæce commercii intercedere cognitum est, ad eum audiendum proceres Brachmanesque convenêre. Quos ille comiter excipiens ad cognoscenda veræ ac novæ theologiæ mysteria invitavit. Suspiciebant majorem in modum, tantam in homine Europæo vernaculi sermonis facultatem, non secus ac si media in Madura et aula fuisset educatus : eruditionem vero in nulla doctrinæ Indicæ parte rudem.

Inter Brachmanes, unum attentiorem et commodiorem nactus, eum sibi conciliavit explicandis aliquot naturalis philosophiæ ac mathematicæ arcanis : mox eidem symbolum Apostolorum explanavit. Rerum novitate attonitum et doceri cupientem induxit in seriam disputationem, disseruitque pluribus de Deo uno, de mundi origine, de primigenia culpa, de reparato per Christum orbe. Pythagoricam metempsychosim, quam Inde fere omnes mordicus amplectuntur, præcipue refutavit. Eo demum res evasit, ut victus Brachmanes se discipulum ultro

Nobilii, et Christianum professus fuerit. Audivit hoc Brachmanes alter, ceterorum velut antistes et magister, magnæ apud regem auctoritatis, magnæ apud populum famæ. Nobili ac numeroso discipulorum grege succinctus, et inflatus opinione doctrinæ ad Patrem accessit. Sedetur : dimicatur. Hinc veritas et solida eruditio; illinc male cerussatus error, et fabularum dives vetustas pugnant. Mussitat corona doctorum, utri victoriam sors adjudicet anxie opperiens. Vicit errorem denique veritas, novitas Evangelica fabulosam vetustatem. Assurgens Madurensis Brachmanes, ne se redactum ad incitas fateri cogeretur, laudavit adversarium, suumque ipsi patrocinium prolixe detulit.

Saniassii et Gurui quinam sint.

Erectus hoc inexspectato successu Christi famulus, vestem Saniassiorum induit. Habentur illi eodem apud Indos loco ac numero, quod apud nos religiosi viri severiorem vitam et pœnitentiam consectantes. Nomen deinde ac titulum Gurui sumpsit. Sunt Gurui proprio quodam munere atque instituto, doctores gentis, et sacræ pariter ac profanæ scientiæ magistri. Hoc titulo auctus aperuit scholam, quæ illustribus referta brevi discipulis fuit. Hoc habebant Pythagoreum isti Gurui, quod suos auditores diu tacitos ac silentes tenerent; nulla ut esset illis loquendi vel disputandi facultas, auscultandi magna et diuturna. Hac arte mirifice usus est doctor Christia-

nus, ut abdita et humanis inaccessa mentibus mysteria promulgaret. Pauca sub initium et singulari cum modestia loquebatur; at ubi mediam in disputationem erat ingressus, tam eleganter ac splendide disserebat, neminem ut hactenus ita locutum prædicarent, et qui doctoris fama permoti accesserant, majorem fama esse faterentur. Id studebat in primis, ut contemptum Christianæ religionis, quo erant imbuti, elueret. Hanc cœlestem, hanc divinam aiebat esse legem, non Europæorum tantum aut Paravarum, et Pariarum, sed principum, sed regum et imperatorum; hanc omnibus ad unum necessariam, quicumque salvi et beati esse vellent. Nobilitatem, ea suscepta non amitti, sed perfici et illustrari. Nullam ab ea conditionem excludi; solis ritu, qui pauperum casas et regum palatia eodem vultu aspicit. Sic paulatim obsolevit ille contemptus, quo nobiles infimum vulgus nullo numero et loco præ se habebant, et Christum in ipsis Paravis et Pariis amare ac venerari didicerunt, quod impetrari nunquam antea potuerat. Sic uterque ordo summorum et infimorum *angulari lapide Christo Jesu* * junctus, in eandem cœlestis ædificii fabricam coaluit, et florentem construxit Ecclesiam, quæ multa modo Christianorum lectissimorum millia cœlestem in terris vitam viventium complectitur. Cum principis doctorisque summi nomen illustre P. Nobilio fama tribueret, ejus spectandi

* *Ephes.* 2.

cupiditate rex Madurensis incensus est. Renuntiarunt Regi hominem domo nusquam prodire; totos dies studio et rerum cœlestium contemplationi vacare, more atque instituto scilicet Saniassiorum et Guruorum quorum in ordinem cooptatus erat. Addiderunt eumdem publico abstinere, ne cujus mulieris aspectu contaminaretur. Maximam Regi admirationem ea laus castitatis movit. Christianam laudavit religionem, quæ tales formaret doctores, et liberrimam ejus amplectendæ potestatem fecit.

Religio inter Mogoles floret.

Eandem suis quoque fecit Mogolum Imperator Jehanguirus qui parenti Ekebaro successerat, et paternæ in Societatem benevolentiæ hæres, domos quasdam ab antecessore suo ipsis attributas, de quibus orta lis magna fuerat, iisdem adjudicavit. Imperatoris patrocinio freti Patres consueta Societatis nostræ munia peragebant in regia urbe, haud secus ac si media in Roma versati essent. Feria sexta Majoris hebdomadæ processit per civitatem supplicantium Christianorum agmen armatum flagellis, quibus humeros haud molliter cædebant. Præibat agmine Crux; circum pueri pia carmina concinebant, insidebat vicos populus admiratione defixus; nonnulli modeste ac silentio sequebantur. Lugubrem hanc scenam mutavit læta et hilari, sacer Christo resurgenti dies. Coronatas floribus lucem albatus grex, facibus accensis, perstrepentibus lyris, in sacram ædem intulit. Non minori

apparatu celebratæ fuerunt. Natalitiæ pueri Jesu, feriæ. Ornando altari cereos faces, et pictas elegantissime tabulas Princeps misit. Vicit noctem amœna lux tædarum quibus omne templum ardebat, dum inter symphoniacorum concentus divina litabatur hostia. In ipsa vero urbe, ignium arte compositorum innocentes flammæ grata populo spectacula præbuerant. Pars prima pompæ et potior fidelium pietas fuit, qui nascentem Christum purgati per delictorum confessionem pectoris hospitio certatim exceperunt.

Paulo ante natalem Christi diem, magnificam ad Proregem Indiæ legationem Imperator adornaverat, et oratori suo comitem addiderat P. Emmanuelem Pinierum : idem Agram proficiscens duos pariter e nostris comites sumpsit, indignantibus Saracenis, a quibus etsi longius in dies recedebat, ad religionem tamen Christianam amplectendam nihilo propius accedebat. Sic solent plerique Principes qui religionem utilitate sua et reipublicæ commodis metiuntur; cum æquius contra foret reipublicæ rationes ad religionis decus dirigere.

In ejusmodi Principibus *quorum mentes excæcavit Deus hujus seculi,* * merito censebatur Daifusuma Japoniæ Imperator, qui licet Christianum odisset nomen, sibi tamen ipse moderabatur, id impense cavens ne quam civili discordiæ causam daret, neve commercio moram injiceret, quod Lusitanorum opibus vigere cerne- * 2. *Cor.* 4.

In Japonia Christi cultores paulum respirant.

bat. Itaque P. Ludovicum Cerqueiram Japoniæ Episcopum perhonorifice accepit, ac subinde P. Provinciæ præpositum, cujus munuscula ostendit aulicæ nobilitati, ac multa de Societate benigne commemorans, pergratum sibi fore significavit, si Patres Xogunum, filium suum inviserent. Degebat Xogunus in ultimo fere Japoniæ ad septentrionem limite, et urbe Tendo, quam magnifice ornandam Daifusama curaverat. Magnam Patribus habere se gratiam Xogunus dixit, quod iter tam longum, sui visendi causa suscepissent, daturum operam ne quid aut officii apud Imperatorem, aut a se beneficii desiderarent. Perspecta Principis in Patres humanitas Christianos a Daifusama semper anxie metuentes, recreavit : eosdem sacramentorum præsidiis munitos, ad Fidei constantiam Patres hortati, remotissimas ad Boream partes, Societati adhuc inaccessas, lustraverunt. Dum isti Fidem in extremis Japoniæ finibus propagabant, eandem alii fovebant in Imperii sinu : Japonensis Episcopus sedebat Nangazachii. Civitatem in parœcias quinque divisit, quibus præfecit Parochos ex ipsa ferme oriundos Japonia. Sodalitates duæ, altera Jesu, altera Mariæ nomine insignitæ florebant et numero sodalium et pietate. Interim Meaci academia fuit instituta, in qua traderentur disciplinæ, quibus avida sciendi natio capi et ad veritatis Evangelicæ cognitionem duci posset : id quod in Sina, Patre Matthæo Riccio duce, Socii

feliciter usurpabant. Non levis inde conciliata gratia et auctoritas magistris religionis. Illorum eruditionem tanto suspiciebat magis populus, quanto clarius Bonziorum suorum inscitiam perspiciebat; quos cum cerneret in rebus naturalibus et ante oculos positis cæcutire, in cœlestibus ac divinis prorsus nihil videre satis intelligebat. Haud minorem vim habuit ad illustrandam religionem publica pauperum domus a Patribus ædificata, cum nosocomio. Mirifice placuit hæc gratuita charitas, quæ apud Japones antea vix erat audita. Hæc Fidei veritatem compluribus ethnicis persuasit, quorum octo millia præter infantes sacramento Fidei sunt initiati; viginti vero circiter millia neophytorum sacramento Confirmationis ab Episcopo roborati.

In insula Boholana, Institutio puerorum.

Trepidatum in Philippinis insulis, quæ infra Japoniam Austrum versus jacent, partim ob sævos incursus prædonum Mindanaensium, partim ob gravia Lusitanorum cum Batavis certamina. Nonnihil profecit religio per intervalla quædam pacis et otii, præsertim iis in locis ubi minor ab hoste metus. Institutio puerorum aperta est in oppido primario insulæ Boholanæ, non sine aliqua barbarorum molestia, qui liberos a se avelli et unam in domum includi ægre patiebantur. Est enim vix credibilis illorum in filios affectus et indulgentia. Multa narrantur * per idem tempus argumenta divinæ bonitatis ethnicos ad virtutem

* *Hist. S. J. p. 5. lib. 21, n.° 10.*

allicientis, bene de illis merendo, et a vitio revocantis, improbos castigando. Christi ac Deiparæ sacra nomina; salutare crucis signum, certissima erant barbaris quidquid instaret periculi, præsidia. Cum viderent ethnici agros Christianorum lætis onustos messibus, et ab omni calamitate tutos, protegente segetes cruce, quæ plurima limites agrorum ornabat, Sacerdotem adierunt orantes ut sibi quoque liceret suis in arvis diu sterilibus ac jejunis, Cruces defigere. Annuit; haud dubie sperans futurum ut qui Crucem diligere cœpissent, ejusque vim beneficam experiri, Crucifixum brevi venerarentur et amarent.

SS. Crucis virtus.

Novus hoc anno et intactus adhuc Evangelio campus apertus est in insulis Salomonis. Sunt illæ in ducentesimo longitudinis gradu, et in octavo latitudinis Austrinæ. Peruanam oram, vasto mari interjecto, longe spectant. Ex ea Hispanorum navis Philippinas petens, cum insulas Salomonis obiter lustrasset, indigenas aliquot inde secum detulit. Cognitum est e vectoribus Hispanis accuratius quam antea, quis earum sit insularum situs, quod cœli solique ingenium, quæ natura et mores incolarum. Hinc magna spes affulsit, et cupiditas Evangelii ad eos deportandi : perspecta præsertim indole juvenis, qui cum Hispanis vela fecerat, et primus ex illa gente, ut fertur, ad Ecclesiam aggregatus, Christo instar primitiarum, felicibus auspiciis oblatus est.

Fruges in Salomonis insulis collectæ,

Maturi fructus quos Evangelicum semen edebat in Guinea, Lusitaniæ Regem impulerunt, ut novos cultores petenti Philippo Regi Toræ submitteret. Rem Christianam ibi feliciter administrabat P. Balthazar Barreira. Ad eum profecti sunt Patres Emmanuel Almeida, Petrus Nettus, et Emmanuel Alvarez. Sed primi duo paucis post diebus morbo periere. Alvarez in Africam interiorem procurrens, mores incolarum in plerisque rebus emendavit. Illud in primis persuasit ne viris nobilibus mortuis parentarent humano cruore : id quod usurpabant præcipua quadam crudelitate. Nam pedum et manuum digitos minutatim dissecabant uxoribus mortuorum et amicis : crura paulatim contundebant vectibus : cumque tristem lanienam tribus horis aut quatuor exercuerant, fugientem animam adacto in collum præacuto palo, exturbabant in aliorum conspectu, qui eandem læti gestientesque sortem opperiebantur. Guinalæ Rex morem inhumanum abrogavit, moxque ut sacris baptismi aquis tingeretur enixe precatus est. Idem plurimi ejus regni proceres, ac finitimi Reges aliquot flagitarunt. Eorum vota Pater distulit, spatium ut esset ad eosdem erudiendos probandosque; sapienter existimans jacienda penitus ædificii fundamenta, quod stabile ac diuturnum esse prudens architectus velit. At P. Barreira facere non potuit, quin Regem Benæ, septem octove regibus minoris notæ imperitantem, et baptismi flagrantem cupi- in Guinea,

ditate, statim conveniret. Subeuntem Rex in paratam deduxit domum, quam vallo custodibusque muniverat, ne qua mulier intro pedem ferret: audiverat enim Patrem cum feminis loqui non solere. Imo præconis voce totam per urbem edixit, ut mulier nulla sine idoneis vestibus, quandiu illic moraretur, prodiret : nam plerumque levius tectæ, ut in æstu summo, degunt. Festa lux Christo in cœlum redeunti sacra fulserat. Rem divinam Barreira fecit; secundum quam Regi ac populo cur veniret exposuit: non aurum, gazasque se petere, sed animas, quarum dignitatem, hostes et pericula demonstravit. Rex palam quid cepisset consilii professus, monuit suos ut se præeuntem sequerentur ac Mahometi sacrilego nuntium remitterent. Nihil restabat aliud, nisi ut præclare inchoatis rebus cumulum baptismus Regis adderet. Exspectabat populus hoc veluti signum, ut in Christianam juraret legem. Jam dies certa operi tanto designabatur, cum hostis humani generis per unum e suis satellitibus moram felicibus consiliis injecit, eaque penitus, anno sequente, ut narrabitur, disturbavit.

in Æthiopia, Magna quoque spes ostendebatur Æthiopiæ ad Romani Pontificis auctoritatem revocandæ, si constantia benecœptis adfuisset. Novus Imperator Seltan-Seguedus stationem Patribus assignavit Gorgonæ ad lacum Dambeam, et domum suis sumptibus exstruxit. Addidit sibi in votis esse,

idque agere se ut religionem in pristinum decus restitueret. Eo negotio cum regni primoribus ac Patribus diu multumque agitato, denique unum in cœtum vocatis, deliberatum sibi esse renuntiavit Æthiopiam ad Ecclesiæ catholicæ communionem revocare. Variatis magno animorum motu sententiis, decretum denique est ut Imperator litteras ad Romanum Pontificem daret. Scripsit pridie Idus Octobres, ac legatum Romam destinavit. Audiebatur sæpe per summum dolorem exclamare : male sit iis Principibus qui nos ab Ecclesia Romana primum divellerunt!

et in regno Mexicano.

Religionem in America Hispanorum pietas et arma contra gentis levitatem feliciter tutabantur. Eorum præsidio Patres longe lateque per Mexicanum regnum evagati sunt ad Chanos, Gorgotochos, et Guiriguanos, quarum gentium feritatem, insito sylvestribus oleastris Christo, mitescere docuerunt. Operæ pretium majus factum est in Ocotlanis, quæ natio plus quiddam habebat humanitatis. Mendacium, furtum, et alia quæ legi naturæ pugnant vitia, aut ignorat, aut horret. Eunti ad ipsos Sacerdoti longe obviam processerunt majores natu, eumque in paratam ædem sacram deduxere, ubi prima legis divinæ præcepta tradere statim aggressus est. Laborabant Vaimolani, Acaxees, et Tamosulani, nefaria cum hoste generis humani familiaritate, cui se interdum devovebant dicto publice sacramento. Erant certa,

quibus eum evocarent, carmina; erant tenebrosi specus, in quibus ejus colloquio fruebantur. *Eripuit illos Deus de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum filii dilectionis suæ* * Pristinis erroribus flagitiisque liberati, tanto divinæ legis studio tenebantur, ut matres alta superarent flumina, parvulis capiti alligatis, ut eos sacro expiandos fonte Sacerdoti offerrent. Magna ejusmodi infantium copia perennem in cœlo adepta est vitam, morte statim baptismum consecuta : magna etiam senum, qui ad longissimæ vitæ metam provecti, hoc unum videbantur expectare ut lineam ultimam feliciter transilirent.

* *Colos.* 1.

Provincia Paraguaiæ.

Administrata fuerat Societas in Chilensi regno, Paraguaia et Tucumania, a Provinciali Peruæ : sed cum istæ tres Americæ Australis regiones longe abessent ab urbe Lima, Peruæ capite, non poterant a Provincialibus spectari commode, et gubernari. Multorum Hispanorum litteræ Romam deferebantur, conquerentium immensas Paraguaiæ regiones a Peruanæ provinciæ Præpositis negligi, tanto videlicet locorum intervallo disjunctis. Eorum querelis impulsus Aquaviva novam e Paraguaia, Chile, et Tucumania provinciam condidit, nullo pacto Peruæ Provincialibus obnoxiam, et P. Didacum Torrem Paraguaiæ Provincialem primum nominavit.

Hoc demum anno finis impositus fuit celeberrimæ de Auxiliis controversiæ, quæ tot annos

Romam et Orbem Christianum suspensum tenuerat. Paulus V, Clementis VIII successor, Congregationibus quæ sub eodem Clemente fuerant habitæ interfuerat, mox in Petri solium evectus. Utramque concertantium partem diligentissime audivit; denique omnibus diu multumque perpensis, utrique sententiæ pristinam manere libertatem jussit, ac severe prohibuit ne quis doctrinæ Societatis aut Dominicanorum notam ullam censuramve inureret. Fuere, qui conditam a Consultoribus dicerent Bullam, quæ doctrinam Societatis condemnaret. Id vero nusquam asserunt Didacus Alvarez aut Georgius Coronellus, aut Franciscus Pegna, qui nunquam id profecto tacuissent, cum id studerent unum ut Societatis doctrinam labefactarent. Deinde Consultorum non est Bullas condere, sed sententiam suam proponere, a Pontifice approbandam aut rejiciendam. Id unum constat eos obtulisse Pontifici Indicem quarumdam propositionum, quas in libro Molinæ censura dignas judicabant. Huic vero Indici, et aliis Censorum et Consultorum scriptis, tam parum inesse ponderis ac momenti putavit, ut ea penes ipsos remanere sit passus, neque in aliquo publico ac tuto Romanæ curiæ tabulario servanda curaverit ubi veritas immutari atque adulterari non posset : id quod in causis gravioribus fieri consuevit. Cum tamen ejusmodi Bullâ commentitiâ venditandâ Societatis adversarii famam ejus ac doctri-

Finis controversiæ de Auxiliis.

nam obscurare conarentur; Innocentius X huic Bullæ et assertæ Constitutioni Pauli V, imo actis quibusdam Congregationum quæ tanquam authentica proferebantur, nullam fidem adhibendam esse declaravit.

Annus Christi 1608 : Societatis 69.

Aquaviva recusat Archiepiscopatum.

Nonnullorum e nostris, qui res novas in Societate moliebantur temerarios conatus, represserat Congregatio quinta generalis anno MDXCIII habita, non penitus oppresserat. Experti constantiam, et invictum adversus ipsorum molitiones animum Præpositi Generalis Claudii Aquavivæ, non putarunt consequi se quidquam posse quandiu Societatis gubernacula teneret. Itaque hæc illi eripere jam inde ab anno MDCVI decreverant, sed astu et per cuniculos. Mortuo Archiepiscopo Neapolitano, perfecerant, ut Pontifex illi successorem Aquavivam nominaret. Diu multumque laboravit Præpositus Generalis, ut honorem insidiosum excuteret : demum opera Sfondrati Cardinalis Clementem exoravit, ut se onere molesto, Societatem periculo, exitioque liberaret.

His elapsum insidiis Aquavivam in alias graviores conjecerant. P. Ferdinandus Mendoza, communicato cum perturbatoribus consilio, statuerat illum in Hispaniam pertrahere, ubi haberet ipsum in potestate. Regem Catholicum, cui notus, et carus erat, per speciem publicæ utilitatis

adortus, ipsi persuaserat unicum ad sedandos Societatis domesticos tumultus remedium esse, si Aquaviva domos Hispanas per sese inspiceret; hominesque singillatim et coram exploraret, quos per litteras duntaxat, invidia, ut plurimum, odio et dissimulatione infectas, cognoscere consuevisset : recte constitutum in aliis Ordinibus religiosis, ut Præpositi Generales identidem ad lustrandas, quæ ipsis parent, provincias et cœnobia excurrant. Idem cum Mendoza sentiebant affirmabantque dux Lormæ, cui secundum Regem summa rerum omnium per Hispaniam potestas erat; nec non regis Confessarius; demum gravissimi et sapientissimi proceres, cum Nuntio Apostolico. Ab iis inductus Philippus scribit ad Pontificem *, ac suo in Urbe Oratori dat negotium, ut in hanc rem cum Clemente transigendam naviter incumbat. Et urgendus vehementer Pontifex, ut plerique censebant, non erat; qui, remoto jam ab Urbe Bellarmino, sagacem et indefessam Aquavivæ constantiam ab inchoata de Auxiliis divinæ gratiæ causa cupiebat amoliri. Arcessit illum ac præcipit, ut se ad profectionem in Hispaniam quamprimum accingat. Non latebant Aquavivam perturbatorum consilia. Procidens ad genua Pontificis orat, considerare ne gravetur, quorum clandestinis artibus hæc struantur. Amici Societatis, et primarii quique Patres Clementem supplices adeunt : cumque perstaret

* *anno* 1604.

ille in sententia, gravi morbo Aquaviva tentatus est. Vocati medici renuntiant, iter ab eo suscipi non posse sine certo vitæ discrimine. Iter necessarium esse respondet Pontifex, et ab eo suscipiendum statim atque per valetudinem licebit. Interim ipse in morbum incidit, quo paulo post exstinctus *, et Aquaviva imperata profectione solutus est.

* *anno* 1606. 3 *Martii.*

Gemina spe depulsi perturbatores, omnia suis votis melius responsura in Congregatione Generali confidebant. Hæc ut habenda sexto post quintam anno decerneretur, a Pontifice impetraverant. Idem tamen oratus ab Aquaviva concesserat, ut Societas jure pristino ac more frueretur, hoc est, ut potestas declarandi, num cogenda sit Congregatio Generalis maneret penes Patres Procuratores, qui tertio quoque anno in Urbem e Provinciis conveniunt. Illi Romam anno MDCVI delati, Congregationem esse necessariam pronunciarunt, eaque constituta fuit ad diem postremam Septembris, anni MDCVII. Intercessere varia negotia publica, quibus effectum est ut in decimum Calendas Martias anni MDCVIII rejiceretur.

Congregatio Generalis sexta.

Singulari Numinis beneficio contigit, ut detectis factiosorum malis artibus, quæ ita velari non potuerant, ut in oculos bene sentientium non incurrerent, congregati Patres in eandem fovendæ pacis et concordiæ sententiam convenirent. Ea territi perturbatores cum nihil tentare

ausi essent, gravi Congregationis Decreto confixi sunt, et in posterum quiescere coacti.

Parta hunc in modum pace, quædam ad Societatis disciplinam spectantia concordibus animis fuere constituta. Assistens Galliæ quatuor aliis additus. Bullæ Cruciatæ usus nostris iterum interdictus : Professio solemnis trium aut quatuor votorum concessa titulo humaniorum litterarum, aut Missionum : explicatus modus, quo proponenda sunt in Congregatione Generali graviora quædam capita, ad Instituti, ut vocamus, substantiam pertinentia : item quomodo inferiorum arcana et occulta delicta Superioribus aperienda; et qua cautione a Superioribus audienda. Disputatum est pluribus de procuranda executione Decretorum. Multa, quæ illam promovere possunt, in medium allata : simul etiam expensæ causæ et impedimenta, quæ eamdem retardare solent. Observata quoque nonnulla in obeundis Missionibus vitanda : statutum fuit, ut ante votorum instaurationem ea renovaturi vacent per triduum ab occupationibus, etiam litterariis, præterquam a scholarum solitis exercitationibus, iis in locis ubi professores nostri docent. Utque omnes quotannis obeant spiritualia S. Ignatii exercitia per octo vel decem dies continuos. Responsum iis, qui per Adventus Dominici tempus imponendam nostris legem jejunii aut abstinentiæ a carnibus, censebant; et quædam in eam rem provisa.

Nova hujus anni quædam domicilia.

Pertinent ad hunc annum jacta fundamenta Collegii Castilionensis in Gallia Cisalpina : Zagrabiensis in Sclavonia; Leopolitani, in Russia Rubra; Luccoriensis in Polonia, et Camenecensis, quod hoc anno designatum, biennio post constitutum fuit; Augensis in Normannia; Remensis in Campania; Santonensis in Aquitania. Cum autem domicilia Societatis in Gallia valde augerentur, placuit Aquitaniæ provinciam, quæ longius porrigebatur, dividere in duas, quarum una retinuit

Provincia Tolosana.

Aquitaniæ nomen; altera Tolosana est dicta. Restitutum per idem tempus provinciæ Belgicæ collegium Dionantense, post annos quinque ac triginta, quam ex illa urbe discesseramus. Restituendi præcipua causa fuit Sacerdos Societatis, qui Dionantum commeare solitus, deprehendit exitiale fœdus ad hæresim introducendam conflatum a tribus civibus, qui minime omnium suspecti videbantur, ludimagistro, medico et concionatore. Priores duo detecti convictique solum verterunt; concionator, deposita, quam ad fallendum et mactandum induerat, ovis pelle, Genevam se recepit. Liberata tanto periculo civitas, nihil habuit antiquius quam ut liberatores suos pristinam in sedem reponeret.

In Anglia Th. Garnetus neci datur

Sic in Belgio Religionem vigilanti custodia Societas tutabatur, quam in Anglia suis ærumnis ac sanguine defendebat. P. Thomas Garnetus Anglus, et P. Henrici Garneti propter catholicæ

Fidei professionem cæsi* nepos, ineuntem ætatem egerat in Seminariis Audomarensi, et Vallisoletano. Sacris postea litteris excultus et auctus Sacerdotio remeavit in patriam, ut popularibus suis prodesset. Ibi adscriptus in Societatem, conferebat se in Belgium tirocinii ponendi causa, cum Catesbyana seu pulveraria illa conjuratio erupit. Occlusis portubus, itineribus undique obsessis, dum oberrat anxius, capitur, et Londinum perductus vocatur in suspicionem conjurationis. Cum accusatorum criminationes verissimis responsis, suppliciorum acerbitatem constantia superasset, pulsus in exilium est, petiitque Lovanium, ut in ea urbe rudimenta militiæ religiosæ poneret, ac paulo post in Angliam ad pristina et pretiosa pericula revolavit. Vix littus Anglicum attigerat cum a Sacerdote, religionis desertore, ad hospitium blande invitatus, et ab eo proditus, Londinum reportatus est. Erat Londini Thomas Ravisus antistes, qui religionis causam hanc ratus, cujus proinde cognitio ad se pertineret, Thomam Garnetum evocavit. Multa sciscitatus, quæ perfacilem habebant defensionem, delabitur ad juramentum Fidelitatis subdolum, quod Angliæ rex a suis exigebat, ut obedientiæ mere civilis testimonium, quod Romani Pontifices a catholicis præstari posse negaverant. Quid dubitas, inquit Ravisus, debitum Regi obsequium juratus profiteri? In me vero, Garnetus retulit, nihil est moræ quin

* *anno* 1606.

jusjurandum fidelitatis edam; sed quo debet subditus modo, quo catholicus potest. Sua sint Sacerdotio, et imperio, civili et Ecclesiasticæ potestati jura salva. Cur hanc destruitis, ut illam adstruatis? *Redditæ quæ sunt Cæsaris Cæsari;** at *quæ sunt Dei, Deo* ne detrahite. Ravisus iram simulata lenitate premens; confido ait, quæ tua est prudentia, futurum, ut melius tibi consulas, re per otium expensa. Mihi, respondit Garnetus, neque consilio neque tempore opus. Deliberatum et fixum est quid sentiam, et in religionis causa neminem, præter Pontificem Romanum audio. Aderat Raviso Vadeus, Catholicorum Phalaris. Excanduit ad liberas generosi Sacerdotis voces, et antistitis lenitatem graviter objurgans, Garnetum in carcerem Novæ portæ trahendum curavit.

Quatriduo post in judicum consessu, causam dicturus, constitit. Capita quatuor et scelera, ut vocabantur, objecit Montacutius. Primum, quod Romanus esset Sacerdos; alterum, quod e Societate Jesu religiosus; tertium quod populum seduceret; quartum, quod Sacramentum fidelitatis dicere abnueret. Priora duo capita ultro confessus, tertium funditus negavit, ac probe refutavit. Quartum ita distinxit, ut ad juramentum legitimum et catholicum dicendum se paratissimum esse affirmaret, non item ad captiosum et vetitum; simulque chartam e sinu prompsit, in qua juramentum conscripserat, quale a catholico dici par

erat. Irrisus a judicibus et perduellionis reus pronuntiatus est. Interposito biduo educitur e carcere, lætitia gestiens, properare ad epulas, ad regnum diceres. Obvium habuit Thomam Cecilium, Regi ab interioribus consiliis, et cum eo per dimidiam ferme horam altercatus est. Id agebat Cecilius, ut illum ad Sacramentum regi dicendum induceret. Pugnabat exemplo catholicorum aliquot, a quibus dictum fuerat : opes, libertatem, regis gratiam offerabat. Vexatus inutili oratione Garnetus : Non faciam, inquit, non si mille vitas et sexcenta regna meream : aversoque ore in plaustrum patibulo subjectum insiluit. Ex hoc pulpito civitatem, quæ ad spectandum convenerat, intuens ore blando : Sacerdos, ait Ecclesiæ Catholicæ sum, et Societatis Jesu alumnus, omnium, qui censentur in eadem, infimus; hodie tamen omnium, meo quidem judicio, fortunatissimus, cui datum sit pro veritate, ac debita Romano Pontifici obedientia mori. Addidit, se remotissimum semper fuisse ab omni, quod contra Regem conflatum esset, fœdere et conjuratione: ita vixisse in patria, ut in una salute animarum curas omnes suas et cogitationes defigeret, catholicosque ad pacem et patientiam hortaretur. Oculis demum ac manibus in cœlum sublatis, egit immortales superis pro sorte felicissima gratias. Deum enixe precatus est, ut justas adversus regnum iras poneret, nec Regi

ceterisve suæ necis auctoribus eam fraudi ac damno esset vellet. His dictis osculum patibulo, resti osculum dulce fixit, eamque collo inserens, post symbolum Fidei cum aliquot precibus clara voce recitatum pependit. Annum agebat quartum et trigesimum. Mors invicti sacerdotis, quæ in nonum Calendas Quintiles cadebat, omnium sermone laudibusque celebrata fuit; aiuntque Jacobum regem succensuisse graviter Antistitibus Cantuariensi et Londinensi, qui reos tales eligerent ad pœnas recusati juramenti luendas, quorum obitus tam illustre populo, tam gloriosum catholicis præberet spectaculum, et fidem ipsi juramento auctoritatemque detraheret.

Crimina P. Nobilio objecta in Madura.

Sane remisit aliquandiu post hunc Thomæ Garneti triumphum hæreticorum furor, et catholicorum patientia exemplo tam illustri corroborata est. Ut enim flores circumpositis spinarum aculeis et defenduntur, et gratius nitent; sic religio ærumnis periculisque circumjectis et munitur et certius efflorescit. Id expertus est in India Pater Robertus Nobilius, ubi veritatem Evangelicam populo *sedenti in tenebris et in umbra mortis* ostenderat. Oblatam lucem secuti fuerant Maduræ non tantum primarii cives bene multi, verum etiam Brachmanes, gentis sacerdotes et doctores, quos dedocere tanto difficilius fuerat, quanto acrius initio restiterunt, sapientiæ scilicet ac eruditionis opinione inflati. At alii ejusdem ordinis,

quibus suæ placebant tenebræ; tum etiam offensi quod Deorum cultus unde quæstum ingentem faciebant, paulatim exolesceret, in Europæum doctorem conspirarunt. Huc accessit, quod æstas arida jejunam dederat messem, et graviorem annonam fecerat. Arrepta occasione clamitant, iratos Deos neque placandos, nisi ejecto novæ ac peregrinæ legis præcone. His sermonibus incendunt urbem, commovent proceres, magistratum ad sumendas de Numinum hoste pœnas sollicitant, causamque ad publicum tribunal deferunt. Accusationis capita præcipua hæc erant : Quod nullos coleret Deos; quod patria Numina templis exturbaret; quod Trimurtim sive Trinitatem derideret. Quippe trinum quoddam Numen seu potius monstrum triceps fingunt : Brummam, Vichnum, et Rutrenum; rude vestigium veræ sanctæque Trinitatis, cujus mysterium constat in his partibus fuisse ab Apostolo Thoma prædicatum. Quod arcana religionis Indicæ, reconditasque Brachmanum litteras cognoscere et expiscari tentaret. Ea crimina in grandi codice descripta ostentabant, tantusque terror invasit familiares ac domesticos Patris Nobilii, ut omnes excepto uno diffugerint. Suadebant amici fugam et latebras. Restitit animo præsenti et interrito. Nimirum intelligebat, fugam offensioni fore Christianis quos ad profitendam, vel objecto capitis periculo fidem solebat excitare. Videbat illud etiam, ad-

versarios multo atrocius in absentem aut latitantem, declamaturos; imo ipsius eversuros domum, detrimento irreparabili : nec desperabat dandum defensioni locum, quem si obtineret, fore omnino confidebat, ut causam vinceret. Postremo si pereundum esset, non posse in tam bona causa mortem non gloriosam obvenire.

Postquam hæc sententia stetit, divina primum orando, seque voluntariis pœnis afflictando, præsidia quæsivit; deinde etiam humana, ne quid in tanto negotio præteriret. Hermechettus, gubernator civitatis, summa valebat apud regem Maduræ gratia, idemque P. Nobilium singulari benevolentia complectebatur. Ab eo factus de Brachmanum conspiratione certior, vocatos accusatores ita perterrefecit, ut parata crimina in jus deferre ausi non fuerint. Sed quod agere coram magistratibus prohibebantur, hoc in Brachmanum celeberrimo consessu moliri splendidius decreverunt, ut accusato coram legitimis judicibus, convictoque reo, ad ipsum Regem causa deferretur. Octingenti ad diem festum per eos dies Maduram convenerant. Omnes convocavit senex Brachmanum potentissimus, et virulentâ oratione Patrem Nobilium ac religionem Christianam est insectatus. Non defuerunt tamen in eo consessu defensores utriusque, imo laudatores; adeo ut pugnantibus inter se sententiis divisi, ac multi etiam, qui perditum Patrem cupiebant, illi

æquiores ac pene amici discesserint. At insanus mystes, agminis impii dux, novam fabricatus est machinam. Cum multitudinem Christianorum ædes sacra non caperet, novam construere Nobilius meditabatur, in amplissima et pulcherrima civitatis regione. Facultatem ædificandi Hermechettus a Rege obtinuit; idem sumptus ædificationi necessarios præbuit. Humus aperiebatur jaciendis fundamentis; cœmenta convehebantur : surgit improbus senex, et solum, in quo templum ponebatur, ad idolum Cokanadam, et ejus ministros pertinere clamat, Nobiliumque in judicium vocat. Intermissum est parumper opus, judicibus religione commotis. Huic machinæ potentiorem aliam Dei famulus opposuit. Corrogat ab amicis pecuniæ summam non levem : eam per unum e suis discipulis mittit seni, quasi ad coëmendum solum et aream, de qua lis erat. Auri fulgore præstrictus sacrificulus, ubi præsentes tacitam in manum congeri blande nummos sensit, locutus est multo mitius, deinde obmutuit; postremo ceteros sodales suos aliqua nummorum parte delinitos facillime placavit. Mitigatis hostibus religionis, erexit se catholicorum pietas, et Christi gregem, cui Brachmanum potentia nonnihil terroris damnique intulerat, soboles numerosa supplevit.

Auctus quoque non mediocriter Christi grex in Philippinis insulis. Xolani, Aytæ, Mindanen-

Progressus in Philippinis

ses cum adversus Hispanos perpetua gererent bella, vix ullum religioni locum dabant. Hoc tandem anno feroces animos et indomitos desiderium pacis et otii subiit. Xolani fœdus et amicitiam primi expetierunt. Missus fetialis, litteras Regis sui recitavit in medio Hispanorum consessu. Præfectus Hispanæ classis capita feriendi fœderis proposuit, quæ a Xolanorum legato probata et utrimque jurejurando firmata sunt. Ratam habuit pacem regius Philippinarum senatus, et Evangelicis missionibus novus apertus est campus. Exemplum Xolanorum secuti sunt Aytæ, natio plane barbara, belluarum more sylvas concursans. Prædam nacti venatu partam aut piscatu, tandiu consistunt in eodem loco dum ea vescendo consumpta. Noctem æstate ducunt acclines arboris trunco, et ramis protecti : hyeme luculentum accendunt ignem ; cineres hinc atque inde amovent, et humum in medio calefactam pro lecto habent, prunarum vallo utrimque septi. Mortuos abjiciunt insepultos, escam alitibus ac feris : ægrotos pariter ibi destituunt, ubi morbus illos occupaverit, modico cibo apposito. Bella pugnasque nesciunt : si quid oritur jurgii cum vicinis populis, hostes insidiis excipere conantur, satisque sibi factum putant, si cujuspiam ex illis præcisum caput auferre possint. Mindanenses anno tantum sequenti ad pacem et Christum accessere. Neque minus periculi et exitii creabat natio

mulierum improbissima; Baylanas vocabant, antiquas gentis sacerdotes, nec superstitionis minus, quam scelerum magistras. Stipatæ sicariorum globo cædes edebant promiscuas, et paucis diebus triginta homines impiarum consiliis aut ferro perierant. Immissis militibus captæ quadraginta, et flagris vicatim concisæ. Sed quod nemo satis miretur, quas efferare debebat ignominia supplicii, mitigavit. Aures docentibus dedere Patribus, ac scelera detestatæ, ingens divinæ bonitatis præbuere documentum, et securitatem regioni, pacemque pepererunt.

Nova in Sina perturbatio.

Sinensis Ecclesiæ pacem nova persecutio turbavit. Fanum idoli celeberrimi deflagraverat in urbe Nankamo, ubi sedem optime constitutam Societas habebat. Sacerdotes fani, ac præsides, ut illud instaurarent sumptum millibus decem aureorum æstimaverant, viritim a civibus exigendum. Christiani profitebantur, impediri se religione, quominus ad profani delubri ædificationem quidquam contribuerent. Ethnici complures, ne quid pariter pensitarent, Christianos se simulabant. Sacerdotes et operis præfecti, captata occasione ad explendum vetus in Christi cultores odium, de illis Nankamo, ac toto etiam, si res ferret, imperio pellendis conjurant, cum infimo litteratorum ordine perquam numeroso. Libellum supplicem offerunt supremo tribunali. Difficultatem instaurandi templi commemorant, Christianis

onera publica per nomen religionis excutientibus. Illorum legem Numinibus patriis inimicam, imperio perniciosam, et, ut alia desint, peregrinam ac vetitam prædicant. Jacere deserta templa, obliterari majorum consuetudines, debitum parentibus honorem, familiarum concordiam, ubique obsolescere.

His fuse ac dolenter expositis orabant, ut supplicium de patriæ ac religionis hostibus publice sumeretur, aut si tam scelesto sanguine inquinare manus pigeret, deportarentur saltem procul in desertum aliquem scopulum, ubi pœnas superis et hominibus inedia consumpti darent. Lis tota per viginti dies cognita et instructa est. P. Soerius, nostrorum præses Nankami, venire ad vadimonium jussus, prodiit cum pileo ac veste peculiari, quæ reorum apud Sinas propria. Positis humi hora tota genibus, exspectavit dum loquendi copia fieret. Auditus cum fastidio, nec sine conviciis dimissus est. Adversarii, tamquam si vicissent causam, concursabant urbem, probra Patribus, verbera ipsorum alumnis ac discipulis ingerebant, Christianorum etiam irrumpebant domos, et sacras imagines, aliaque pietatis monumenta lacerabant. At Nankami gubernator, homo prudens, et a P. Soerio privatim conventus, postquam omnia et e testibus minime suspectis, et per sese cognovisset, proceres urbis fecit de toto negotio certiores. Docuit ab annis duodecim quietos agere

Patres in civitate, bene de omnibus semper fuisse meritos, nihil in eorum doctrina reprehendi, aut vita : fratres demum esse Matthæi Riccii tanto florentis apud imperatorem honore, apud omnes probos gratia. Sub hæc accusatorum calumnias et mendacia protulit refutavitque. Eorum tamen veritus furias et numerum, causam omnino Patribus adjudicare non est ausus. Licere illis quidem voluit manere in civitate, ac suis uti moribus et institutis; quoniam tamen imperita plebs et avida novitatis, non sine popularium contemptu religionum, et factionum periculo, ad eos audiendos confluebat, vetuit, ne docerent publice, ne domum ampliorem coëmerent, ne cœtus frequentiores Christianorum haberent. Patres, mentem gubernatoris assecuti, qui non tam ipsis nocere, quam adversariis velificari studuerat, parumper quieverunt, temporis causa, cui serviendum sapienter existimarunt : sed cum decreti executionem nemo urgeret, ad pristina munia paulatim se retulerunt, imo domum Probationis posuere Nankami, ubi Novitios ex ipsa oriundos Sina, et parentibus Christianis natos, P. Hieronymus Rodericius præceptis religiosæ vitæ informavit.

Edictum pariter, sed acerbius, contra legem Christianam tulerat Daifusama, Japonum imperator, in gratiam viduæ uxoris Taicosamæ : quod etsi omnes intelligerent extortum ab impotenti femina fuisse, nihilominus aliquot reguli Chris-

Japonum ob Christi Fidem mira fortitudo.

tianis infensi datam sibi occasionem et facultatem putarunt in eos impune sæviendi. Morindonus rex Amangucii Canosangum, cujus exemplis et sermone religio maxime nitebatur, falso crimine accusatum, raptari triduo per oppidum, et vivum comburi; ejus uxorem in crucem tolli jussit. Ad supplicii locum perductus, paucis de sua innocentia, pluribus verbis de sanctæ legis necessitate ad salutem consequendam peroravit. Cujus, inquit, veritas ut vobis constet, immotus inter istos ignes ad extremum usque spiritum stabo. Vos Deum hunc pro vero et solo Numine habetote, qui tantam suis fortitudinem et constantiam aspirat. Dixit et sacram reliquiarum thecam circumdedit collo, dextraque palum amplexus illi affixus hæsit instar statuæ marmoreæ, nullum doloris signum edens, vel gemitu, vel motu levissimo, crepitantibus, quæ novem circum pedibus adstabant flammis, ac vivos artus lenta morte depascentibus. Parem constantiam ejus uxor, sublimibus vestigiis cruci affixa præ se tulit. Alterius Christiani virtus, Leonis nomini, quod gerebat, consentanea eluxit in regno Saxumæ. Sæpe interpellatus, ut ad vulgi rediret sacra, omnibusque tentatus modis, eripi sibi vitam posse dixit, Fidem non posse, viro nobili formidandam non esse mortem, optandam Christiano. Sic locutus auro pictas induit vestes, et familia valere jussa, in publicam ultro prodiit. Ibi depositis gladio et

pugione, sumit in manus imaginem Salvatoris, et Virginis rosarium, ac Deum paulisper precatus, demesso capite præclarum Christo testimonium dedit.

In Africa Regis Toræ, et aliorum pietas. etc.

Illustre quoque religioni testimonium, sed incruentum, dedit in Guinea rex Toræ. Apud Afros solemne ac religiosum in principum funeribus habebatur, ut convenirent affines et consanguinei certum in locum, ibique vino et cibis certatim se ingurgitarent. Ejus, cui funeris cura incumbebat, partes præcipuæ tunc erant, ut tanta suppeteret vini copia, quantam exhaurire invitati non possent. Ex ebriorum numero splendor funeris æstimabatur. Hinc jurgia, cædes et nova funera, ut pro uno mortuo multi sæpius efferrentur. Ad ejusmodi funebrem pompam vocatus a vicino principe Petrus rex Toræ, Christianus, cum abesse certis de causis non posset, separatum ab ebriosorum tumultu pagum sumpsit; cumque verni jejunii dies in idem tempus incidissent, ab eo numquam impetrari potuit, ut carnibus vesceretur. Hæc in principe neophyto temperantia multis admirationem, at vicino regi Benæ pudorem incussit, qui Judæum impostorem audiens, promissum Christo fidem fregerat. Quod cum cerneret P. Balthazar Barreira, neque illum ad pristinum suscipiendi baptismi voluntatem ulla ratione revocare posset, discessit. Abeuntem secutus est regis filius, eique se comitem ac discipu-

lum ultro dedit. Sic divina munera non cadunt prorsus irrita, quodque respuit unius perfidia, pietas alterius et fides accipit.

Hoc ipsum patuit in duobus ejusdem Africæ Regibus, quorum regio fines regni Congani attingit. Repudiatam a rege Benano fidem ultro sunt amplexi, et missis legatis cum muneribus magistros legis Christianæ postularunt. Data hæc provincia Patribus Francisco Goisio et Gaspari Azebedio. At regni Angolani regulus ethnicus cum defixam in colle crucem impiis vocibus, et contumeliosis præteriens incessisset, morbo derepente oppressus, gravissimos dolores anno toto pertulit. Omnia nequicquam remedia experto, venit in mentem denique vera mali causa. Mittit e suis proceribus, qui Cruci honorem habeant, addito voto, se, si convalescat, Christiana suscepturum sacra. Vix abierant, abiit simul morbus, et reversi proceres sanum valentemque invenerunt. Continuo legatos ad Lusitanum prætorem destinavit, qui Sacerdotem, a quo sacris baptismi undis expiaretur, impetrarunt.

Quo statu Missio in Monomotapa,

In extrema meridiem versus Africa, Monomotapæ regnum jacet. In eo cum Saracenorum dolis et Regis perfida dissimulatione P. Consalvus Silveria periisset anno MDLIX : Sebastianus Lusitaniæ Rex, indignam ulturus necem, bellum Regi Africano denuntiavit. * Lusitanas quæ bellum in Africam deportabant naves, et copias comitati

* *anno* 1568.

Patres Franciscus Monclarus et Stephanus Lopes non diu ibidem constiterunt, ærumnis, ac veneno etiam, ut fama fuit, confecti. Anno MDCIV Christianorum litteræ ac preces opem a Patribus Societatis enixe postulantium, spem redintegrandæ Missionis excitarunt. Ad eos tamen perveniri tunc non potuit, propter Batavorum classem, hæc maria concursantem, et aditus omnes intercludentem. Demum hoc anno rei bene gerendæ major opportunitas affulsit. Monomotapæ Rex conjuratione suorum et insidiis appetitus, fidem Lusitanorum imploravit. Illorum armis fregit perduelles, et beneficii memor celebres in regno suo argenti fodinas defensoribus suis donavit. Missos ad ineundam regii muneris possessionem Lusitanos secuta est lecta Patrum cohors, tanto majori spe operis Evangelici feliciter promovendi, quanto erat Saracenorum factio debilior, qui cum olim apud Regem possent omnia, nunc ejus amicitia, patrocinioque spoliati, precarium ægre spiritum ducebant.

Spem bonam ac lætos flores Sociis offerebat Monomotapa, rem fructusque dabat Mexicana provincia. In ea P. Andreas Peretzius Quagueorum lustrans oppida, sexcentos ac septuaginta infantes paucis mensibus filios Dei, adoptione cœlesti fecit. Maiæ, vicina gens, et inculta, positis armis, pacem Christumque petierunt. Aquimi pariter et Guacamæi, bellatores acerrimi, fœdus

et in regno Mexicano.

cum Hispanis composuerunt sæpe hactenus frustra tentatum. In variis Missionibus quas amplius quadraginta Socii peregerunt, bellum utile ac prosperum barbaris superstitionibus illatum est. Hæc præsertim debellata, qua solebant recens editos in lucem fetus grassante pestilentia, tamquam piaculares communis exitii victimas, interficere. Ea tunc maxime apud illos vigebat consuetudo. Quippe vitiatus æër pestem late sparserat. Mexicana civitas, opem Beatissimæ Virginis peculiarem in tanto periculo experta, gratum ac memorem animum, misso ad Lauretanam ædem munere declaravit. Illud in Italiam delecti Patres pertulerunt : haudquaquam sane comparandum cum tot Regum et Imperatorum magnificis donariis, quæ in hac sacra et celebri visuntur æde, si materiam spectes; nihilominus dignum propter formam operis; atque adeo propter tantam locorum intercapedinem, quod in Europæ donorum illustri acervo appareret. Imago erat ejusdem sanctissimæ Virginis, non penicillo, non acu picta, sed ex avium plumis versicoloribus confecta industria mirabili, opus multorum dierum et manuum.

Domicilia in Paraguaia.

Unam in provinciam coaluerant anno superiore Paraguaia, Tucumania, et Chile. Hanc novam Provinciam cui Paraguaiæ, seu Paraquariæ nomen datum, ubi primum gubernandam accepit P. Didacus Torres, nihil habuit antiquius,

quam ut Probationis domum in oppido Cordubensi collocaret; studiorum sedes in Chilensi collegio posita, et prima Congregatio provincialis habita in urbe S. Jacobi, ejusdem Chilensis regni capite. Decretum fuit inter cetera ut domicilia Societatis conderentur in iis potissimum locis quæ idonea propagandæ apud barbaros, et fovendæ inter Hispanos religioni censerentur. Visus est in iis merito numerandus Boni Aëris Portus, seu Fanum S. Trinitatis, emporium celebre, ad æstuarium fluminis Argentei, ex quo in Peruam, Chilen, et Paraguaiam frequens et facilis transitus est. Ibi dum Societatis domus construitur. Didacus Torres Chilense collegium optimis legibus pro regionis conditione temperavit, ex eoque statim educta fuit Evangelica turma in expeditionem ad Araucanos, gentem ferocissimam et infestam Hispanis, quorum excusso jugo, quasi perduellionis signum sustulerant. Chileni regni vallem a trigesimo septimo, Austrum versus, gradu longe lateque porrectam obtinent. Ad eos profecti Patres primum operam navarunt Hispanis militibus præsidiariis, qui erant in arce Arauco ad vim barbarorum coërcendam collocati; inde progressi ad Indos per amplam vallem fusos, illorum primores certum in locum congregarunt, ea spe futurum ut vulgus ad eorum accederet sententiam, si quid constitutum iis probantibus foret. Iisdem assentientibus pagi prope innumeri.

Expeditio in Araucanos,

quos adire singillatim et erudire, ut infiniti laboris, sic emolumenti non magni erat, ad viginti majores pagos redacti fuere.

et ad Brasilos Maranonios.

Eadem arte usus feliciter fuerat ad Brasilos ab insitis vitiis et ferina vita revocandos P. Franciscus Pintus : eademque via speravit ad Christum adduci posse accolas Maranonii fluminis, cujus aquas flumen Amazonum excipit, in suprema Brasiliæ, Boream versus, parte. Nondum ad eos Evangelii lux pervaserat. Hanc ut ipsis inferret, socium P. Ludovicum Figheiram, et Christianos aliquot Brasilos ignoti ac periculosi duces itineris adhibet, qui non solum commonstrarent viam sylvis obsitam, montibus abruptam, fluviis intercisam; verum etiam qui populares suos conciliarent Patribus, et Evangelio præpararent. Profectus anno MDCVII, annum fere integrum in itineris molestissimi ærumnis consumpsit, non sine singulari tamen solatio, quippe doctrinæ salutaris sementem ubique spargens, et miseram erudiens plebem, quæ Christianis olim imbuta præceptis, modo vitiis et erroribus silvescebat, colentium penuria. Ut ad Maranonios pertingeret transeundum erat per fines immanissimæ gentis, cujus complures pagos Lusitani paulo ante vastaverant, edita ingenti hominum strage. Hærebat adhuc infixa in efferatis animis cupiditas ultionis, et oblatam explendæ cupiditatis facultatem conspecto Patre putaverunt. Brasilos ab eo cum mu-

neribus missos retinent, obtruneant, et genialibus destinant epulis, in quibus nullam humana carne ferculum suavius norant. Nec ita multo post facto agmine ululantes de proximis montium culminibus præcipitant, et sagittarum imbrem effundunt in Christianos Patris comites. Illi orare pacem magnis vocibus, obtestari ne se hostium ducerent loco, populares suos agnoscerent, ac Sacerdotem innoxium divinæ legis præconem. Barbari vocibus inconditis tumultuantes respondent nullum sibi fœdus unquam cum Lusitanis fore. Prodit Pintus vultu ad modestiam, sermone ad mitigandos furentium animos composito. Dicentem invadunt, unumque de ipsius comitibus Brasilum, validius obnitentem ut eum sceleratis manibus subduceret, impacta capiti clava sternunt. Ceteri nequaquam resistendo pares, alius alio diffugiunt. At phalanx impia in unum irruens Pintum, vectibus ligneis comminuit caput, corpus exanimum spoliat, tugurium sacellumque diripit; cadaveri, præter morem, pepercit. Aberat tunc forte P. Ludovicus Figheira. E vicino reversus nemore, cum jam barbari tristibus onusti spoliis abiissent, sodali carissimo justa persolvit, et rigida membra multo conspersa sanguine, inter mistas fletu preces terræ mandavit. P. Franciscus Pintus Lusitanus erat, natus Angræ, quæ civitas est insulæ Tertiæ. In Societatem acceptus pridie Calendas Novembris anni MDLXVIII, totos triginta annos in Brasilis

P. Pintus crudeliter mactatus.

erudiendis collocarat. Magno pectori angusta erat Brasilia, in Americæ provincias interiores, et longius a mari disjunctas quater aut quinquies exspatiatus uberrimos prudentiæ, pietatis, ac patientiæ fructus ubique collegerat; iis cumulum beata mors addidit.

Annus Christi 1609 : Societatis 70.

* *Prov.* 4. *Justorum semita,* inquit Sapiens, * *quasi lux splendens procedit, et crescit usque ad perfectam diem.* Ut enim dies pulsa nocte sensim augescit, donec sol altius assurgens terras ad plenum collustret : ita Sancti, dum hic versantur, amant latere, et uni divinæ gloriæ intenti, de sua non cogitant, nisi ut illam Christianæ humilitatis, tenebris obtegant. Ea quasi nocte transacta, erumpit virtutis nativa lux e sepulcri caligine; honor habetur frigidis emortuisque cineribus, et in ipsis eorum tumulis, ubi regnare mors videtur, vitam ac sanitatem mortales afflicti reperiunt. Hæc velut aurora gloriæ Sanctorum est. Subeunt illustria deinde prodigia, quæ nomen ipsorum et famam longe lateque diffundunt, res illorum præclare gestæ mandantur litteris, et ad posteritatis memoriam propagantur. Demum crescit eadem lux et ad plenum veluti meridiem procedit, cum donantur cœlitum honoribus, cum Beatorum inseruntur fastis, cum ipsorum imagines et exuviæ sacræ ad publicam venerationem altaribus impo-

Ignatius inter Beatos collocatus.

nuntur. Hos gloriæ gradus cum in ceteris passim Sanctis, tum in B. Ignatio præsertim observare licet. Nemo sui nominis et honoris, dum viveret, magis illo negligens, imo contemptor magis fuit; unam majorem Dei gloriam, et sectatus est ipse, et suis alumnis sectandam proposuit. Mortuum, ejecti corporibus dæmones, depulsi morbi, levati parturientium dolores, plenus miraculis Oriens et Occidens, illustrarunt. Quem beatum tot prædicabant ora, tot sonabant voces, Beatum Roma dixit Sexto Cal. Sextiles, (adnitentibus præcipue Cardinalibus Baronio atque Bellarmino) et Officio Missaque colendum Orbi dedit. *Ob excellentem,* inquit Summus Pontifex, *sanctitatem ejus vitæ, atque ob miraculorum coruscationem, quæ Deus ejusdem meritis et intercessione, tam dum viveret, quam post, operari dignatus est, et quotidie adhuc operari non dedignatur.*

Ea felix appellatio, multorum votis Principum ac populorum expetita cum primum Pauli V Summi Pontificis oraculo edita est, tunc veluti ruptis aggeribus effudit se mortalium publica pietas erga hominem saluti publicæ natum, et omnibus lætitiæ argumentis, omnibus monumentis gloriæ, beatum nomen prosequi, urbes, regna, provinciæ, certaverunt. Mortalium studia cœlum comprobavit recentibus prodigiis, quibus permota sacra Rituum Congregatio edixit *ut causa Canonisationis inchoaretur.*

Communio generalis instituta Romæ et propagata, etc.

Nihil antiquius habuerat S. Ignatius, dum in terris degeret, quam Sacramentorum pœnitentiæ et Eucharistiæ pium ac frequentem usum promovere. Ejus vestigiis insistens Societas, præter alias artes ad eam rem feliciter adhibitas, instituit hoc anno, approbante vehementer ac laudante Summo Pontifice, Communionem menstruam generalem, quæ primum a nostris usurpata Romæ, manavit ad vicinas civitates, et in Europam fere omnem aliasque Orbis Christiani partes, magna populorum utilitate, fluxit. Ea sic peracta fuit. Electum est ex amplioribus Romæ templis unum aliquod, ubi singulis mensibus strueretur sacrum convivium insigniori apparatu, et accumbentibus proposita uberiore peccatorum venia : in eodem templo habitæ sunt per mensem integrum diebus dominicis conciones, ad præparandos epulo Eucharistico animos accomodata. Dum Angelicus panis distribuebatur, quem cœlestis mensæ ministri quinque aut sex, in iisque interdum antistites et purpurati Patres, convivis dividebant, Sacerdos e plano vel Superiore loco, appositis conciunculis et precibus excitabat populum, et faces novas jam igne cœlesti calentibus animis admovebat. Sub vesperam exposito SS. Sacramento, certæ concinebantur, post concionem plenam ardoris, preces, et elata sublime cœlestis hostia populo ante aram provoluto benedicebat. Porro non semper in eadem urbis regione celebra-

tur Communio Generalis : mutatur consulto ædes sacra, ut major opportunitas ad sacram mensam conveniendi omnibus præbeatur. Brevi conflata fuit pia sodalitas, cui nomen inditum a Communione generali, et cujus potissimum partes essent ut sodales exemplo vitæ, modestia in templis, ac peculiari pietate in divinis mysteriis frequenter, et sancte usurpandis populo prælucerent. Hinc majorem in modum aucta est, non solum veneratio, sed etiam usus creber Eucharistici panis. Accidit enim in hac Angelorum dape, contra penitus quam in aliis usuvenit : aliæ crebro ingestæ fastidium et nauseam afferunt; istius experta suavitas, elicit appetitum, et ipsa satietas famem parit.

Dum religionem catholica pietas amplificare, et illustrare studebat, hanc hæresis obscurare atque depravare conabatur partim verborum tendiculis, et sacrorum librorum corruptela, partim calumniis, et fictis, ut solet, fabulis. Librorum corruptelam sapiens matrona simul atque cognovit, nullam interposuit moram quin convictos malæ fidei doctores desereret. Erat illa inter suos pridem ob ingenium et eruditionem (hanc enim etiam mulieribus, uti et docendi facultatem, tribuunt) magnæ auctoritatis et famæ. Sacra Biblia centies legerat ac perlegerat, ac purum putumque Lutheri Evangelium plenis ubique buccis crepabat, magno imperitorum plausu. Exultantem repressit unus e nostris, affirmans haudquaquam

purum et putum Evangelium esse quod venditabat, sed corruptum, interpolatum, ac male mutatum plerisque in locis. Negat hoc illa præfracte, nec dubitavit multis audientibus facere sponsionem in eas leges, ut si res ita se haberet, catholicorum in partes transiret ipsa; sin esset secus, noster in Lutheranorum verba juraret. Accipit conditionem Pater, Biblia componuntur, deprehenduntur Lutherana, plena fraudis, manca, mutila, depravata. Obstupuit mulier prudens, stetitque promissis, indignum rata illis credere quorum ipsi libri ac muta monumenta mentirentur. Hæc mendacia ut possint cognosci, et ipsorum auctoribus objici, aiebat P. Nicolaus Serarius (qui hunc annum vitæ mortalis ultimum habuit, et quem Cardinalis Cæsar Baronius Ecclesiæ Germanicæ jubar appellat) *Pro hæreticis non orandum modo esse, verum etiam studendum.*

Missio Constantinopoli, et domus restituta

Ac fraudes quidem in depravandis libris et mala fides, vel ipsis deprehendi oculis et refelli possunt; calumniis occurri ac fieri medicina non tam facile potest. Missionem et domum Societatis Constantinopoli pestilentia everterat, P. Petrus Cotonus, Henrici IV Regis Galliæ confessarius, de illa instauranda egerat cum Rege, qui negotium Baroni Salignaco, suo apud aulam Turcicam legato, enixe commendavit, et a Turcarum Principe amplissimam veniendi facultatem Patribus

impetravit. Continuo negotium disturbare Angli meditantur, et interprete ac ministro usi Græco quodam monacho, scribunt ad Patriarcham Constantinopolitanum ut Patres Societatis sedem ponere Constantinopoli non permitteret, homines, ut aiebant, improbissimos, et nomini Græco præcipue infestos. Patriarcha litteras Baroni Salignaco, Salignacus Regi ostendit. Henricus calumnium indigue ferens ad redintegrandam missionem vehementius animum appulit. Patres quinque, præside P. Francisco Cauillaco Romam profecti, et Summum Pontificem venerati, Constantinopolim Septembri mense pervenerunt. Inde illos iterum arcere Societatis adversarii summa ope conati sunt, sparsis in populum sinistris rumoribus, ac delatis ad Imperatorem Turcarum gravissimis querelis. Fregit illorum conatus insigni prudentia Baro Salignacus, eoque instante restitutum Patribus est D. Benedicti templum, quod sæviente pestilentia deseruerant, cum ædibus adjunctis, ac statim Societatis ministeria ut prius exerceri cœpta.

Societas Cadomi,

Qui restituendæ domus et Missionis Constantinopolitanæ præcipuus auctor extiterat Pater Petrus Cotonus, idem datus Cadomensibus concionator ab Henrico IV, perfecit eloquentia sua et comitate ut civitas Societatem expeteret. Rex gymnasium urbanum, a Monte vulgo dictum, a magistratu emptum donavit Patribus. Hinc Codomense collegium Societatis Regiomontanum est

appellatum, illudque Cadomensis Universitas in suum corpus cooptavit. Ab intestinis bellis paulum respiravit Belgium, pactis inter Albertum Principem et Ordines fœderatos induciis. Peperit ista quies Societati duo collegia Silvaducense et Ruremundanum. Silva Ducis, civitas Brabantiæ permunita, sedet ad fluvium Desam. Scholas bellum prostraverat. Eas erexerunt induciæ, steteruntque annos viginti, quibus elapsis, cum Princeps Arausiacus urbem expugnasset, rursum sunt aversæ, et exilium nostris imperatum. At Ruremunda urbs Gueldriæ ad confluentes Ruræ, et Mosæ, quamvis et ipsa Fœderatorum aliquandiu passa jugum, retinuit tamen Societatem, ac dominos denique alienos excussit. Firmanum in Piceno collegium debetur præcipue patrocinio B. Aloysii Gonzagæ, qui pie invocatus, cunctantes ac dissidentes civium voluntates ita immutavit, ut in eamdem omnes de vocanda Societate sententiam convenirent. Auctum similiter duobus collegiis regnum Neapolitanum : Stabiensi, in ea urbe citerioris Principatus, quam vulgo Castrum maris, seu Stabias vocant, et Melfictensi, seu Molfetensi in Apulia.

Silvæducis,

Ruremundæ,

Firmi,

Stabiæ,

Molfeti.

Condita quoque nonnulla de integro in Philippinis domicilia Societatis, præsertim in insula Siquiorensi, quæ una maxime clausa videbatur Evangelio : huic ostium reseravit industria feminæ Christianæ, initio ducto ab ipsis mulieri-

Mulieris industria in Philippinis

bus, e quibus pium conflavit sodalitium, et quas jussit maritos docere, instituere filios, omnibus exemplo præire. Huic matronæ filius erat adolescens in Seminario Boholano Societatis educatus, Michael Ayatumus, dono quodam divinæ providentiæ genitus, ut Indicæ juventuti proponi tanquam exemplar posset. In eo erant omnia ornamenta, quæ ineuntem commendant ætatem imo quæ in sanctioribus pueris admiramur. Solitus tertio quoque die labes animi sacra confessione detergere, id accuratius præstitit seque ad mortem sumpto cœlesti viatico comparavit, duodecimo Cal. Decemb. quem diem vitæ innocentissimæ novissimum, et divinitus cognitum habuit.

P. Rozus, Cranganori Archiepiscopus,

In India nova Sedes data est Episcopo Thomæorum. Is erat P. Franciscus Rozus, qui cum Religionem indefesso studio propagaret, plurimum a regulis ethnicis ac dynastis molestiæ patiebatur. Arcem habebant Lusitani Cranganore, quæ civitas inter Calecutum et Cocinum sedet. Optimum factu censuit Goanus Archiepiscopus ut P. Franciscus Rozus relicta, ubi degebat, Angamala, Sedem Episcopalem Cranganore collocaret, ubi suam et religionis auctoritatem contra vim et molitiones istorum regulorum, præsidio et armis Lusitanorum tutari posset. Facile assensus est Summus Pontifex Paulus V, et veterem Archiepiscopi titulum, quo Angamalenses olim Antistites gaudebant, Cranganorensi præsuli

reddidit. In volutandis voluminibus Chaldaicis, quæ plurima penes Thomæos reperiebantur, deprehendit Cranganorensis Archiepiscopus fundatos fuisse in his regionibus ab Apostolo S. Thoma octo Archiepiscopatus, nempe in Malabare, Socotora, Cambaia, Mogole, et Cina. Trium aliorum nomina quibus locis conveniant, incertum est. Reperit etiam in pervetusto Codice Canonem Concilii Nicæni, qui non exstat in Latinis editis. Est ejus hæc sententia : *Sic potestas Patriarchæ Romani sit super omnes Patriarchas, sicut B. Petro super Orbem Universum. Aliter qui dicat sentiatve, hunc Synodus anathemate percutit.*

Brachmanes septuaginta convertuntur

Gratulatus Archiepiscopo Granganorensi Pater Robertus Nobilius, Madurensis Ecclesiæ fundator, progressum religionis admirabilem illi significavit. Illud in primis: septuaginta Brachmanes, hostes antea veritatis infensissimos, factos esse patronos ejusdem acerrimos, quod incredibile videatur, Brachmanum superbiam æstimantibus cum pari pertinacia conjunctam. Duos ex illis ad eundem Archiepiscopum misit. Confirmationis Sacramento corroborandos : tum etiam ut veterum ex Archiepiscopi schola Christianorum virtute perspecta, proficerent imitando, et eam suis popularibus in patriam reversi narrarent; denique ut ipsimet præberent specimen aliquod Ecclesiæ Madurensis, quæ tam lætas fruges efferret. Repu-

diatis quæ offerebantur ab Antistite variis muneribus, rosaria duntaxat, imagines pias, et sacra numismata in patriam detulere. Ardebant plurimi e nostris illos comitari, et Madurensis Ecclesiæ fruges alere sudoribus suis; uni datum hoc Patri Emmanueli Leytano, tironum Societatis Cocinensium magistro, qui statim arduum iter, et hibernis infestum imbribus capessivit cum duobus Christianis.

Mandarini Pauli pietas.

Qui Brachmanes ad fidem in India vocabat Deus, idem litteratos et Mandarinos ad eandem adducebat in imperio Sinensi. Eminebat inter illos doctor Paulus, qui Sciamaiam, patriam suam, cum P. Lazaro Cataneo profectus, eam Christianis moribus et institutis hoc et superiore anno excoluit, eique lucem Evangelicam intulit. Licet enim Christianum nomen jamdudum Sinam omnem pervasisset, nihilominus in hac urbe adhuc erat obscurius, tum quod in extremo imperii littore contra Japoniam jacet, tum quod famam et sanctitatem Christianæ legis premere et obliterare nitebantur profani sacerdotes et avari, e quibus alii verebantur, ne unus et peregrinus Deus suos tam multos, patriosque vinceret; alii timebant, ne dilapsis Deorum cultoribus carendum sibi quæstuosa pietate ac mendicandum foret. Ab eorum quodam lacessitus doctor Paulus atroci scripto, quo illi peregrinam exprobrabat religionem, susceptæ fidei rationem contrario libello

Excursio P. Catanei.

reddidit, argumentorum tanto robore, ut iis assentiri cogeretur ethnicus. Quod ratio inchoaverat, charitas absolvit. Ægrotantem aliquanto post invisit idem Paulus, et eam denique religionem esse veram persuasit, quæ inimicos diligere doceret. Duobus annis ita Sciamaiæ transactis P. Cataneus ad novam Ecclesiam in Chekiamensi provincia fundandam profectus est. Nankino transiens obvios habuit gratulantesque socios, nec ei minus quod iisdem gratularetur fuit. Creverat majorem in modum Nankinensis Ecclesiæ fecunda soboles, nec tantum numero, sed verarum studio et exercitatione virtutum. Recentes Christiani veteranis incitamento erant; veterani exemplo recentibus, ignem hunc sacrum in grege fideli duæ res præcipuæ fovebant; sodalitium in Deiparæ honorem institutum; deinde usus Spiritualium Exercitiorum, quibus ea vis inest, ut anima *suam ut aquilæ juventutem renovet,* ac renovatam conservet.

Pueruli duo Martyres in Japonia.

Quemadmodum Sinenses neophytos divina bonitas inflammabat studio propagandæ et ornandæ religionis; sic Japonenses ad eam in cruciatibus tuendam patientia singulari armabat. Longum sit, victimas sævo persecutionis incendio consumptas enumerare : duos tantum fratres in feralem producere scenam libet, Petrum et Thomam, alterum sex, alterum duodecim annos natum. Thomæ parentes martyrii cupiditatem

puerulo tantam insererant, ut cum flebiliter vagiret, more infantium, placaretur subito, si dicerent martyrem non fore; neque enim daturum sanguinem, qui lacrymas tenere non posset. Statim atque rescivit, indictam sibi ac parenti suo necem lautiores induit vestes, et lictoris dextræ se implicans properat in plateam, ubi ejus pater obtruncandus erat. Quem ut vidit : Adsum, inquit, mi pater, simul hodie in cœlum pergimus; mortem non timeo, quæ illuc ducit. Mox flexit genua prope paternum cadaver, parvulas complicuit manus, Jesumque et Mariam blande vocitans cerviculam ferro decisam posuit. Petrus sexennis puer, postquam audivit necatum patrem, et sibi pariter esse moriendum, haudquaquam ferali nuntio turbatus, in eandem plateam ultro festinabat. Viam obsidebat flens et attonita multitudo, quacumque tener agnellus ad carnificinam rapiebatur. Ut locum attigit recenti manantem cæde, ac paterno fraternoque fumantem sanguine, manibus ante pectus junctis, et explicato collo ictum exspectabat. Sustuleratque acinacem carnifex : at puero sic viso manus barbari diriguit, animus cum ferro concidit. Idem contigit aliis duobus. Arreptus igitur est vilis e circumfusa plebe servus, qui ferri tractandi rudis, primo gladium humeris incussit ferociter, puerumque dejecit humi : tum gemino vulnere appetiit collum, denique caput avellere cum nequiret, secuit, turba clamoribus

et ululatu lamentabili crudelitatem detestante. Placet hic sistere parumper, et exclamare cum S. Ambrosio * *Detestabilis crudelitas, quæ nec minusculæ pepercit ætati! imo magna vis fidei, quæ etiam ab illa testimonium invenit ætate. Qui non habuit, quo ferrum reciperet, habuit quo ferrum vinceret : nondum idoneus pœnæ, et jam maturus victoriæ.*

* *Libro primo de Virginibus.*

Moritur P. Organtinus,

Cruentæ duorum puerorum neci, placidam emeriti senis mortem addo, Patris Organtini Gnecci, sive Soldi : hoc e materna stirpe cognomen, illud e paterna duxerat. Tanta florebat apud imperatores ipsos gratia et auctoritate, ut religiosis viris omnibus vertere solum jussis, Taicosama veniam illi dederit et vestem Societatis, et domicilium in urbe Japoniæ primaria retinendi. Hoc principis favore sapienter usus, gubernatores provinciarum, reges, et magnam Japonicæ nobilitatis partem, ad Christum adduxit. Præter cetera, quæ sunt ab illo in publicam rem utiliter provisa, illud maximam habuit apud omnes approbationem,

qui infantes expositos,

quod expositos et abjectos infantes colligere et alere studuit. Viget apud Japones ea consuetudo barbara, ut quam educare prolem nolunt aut nequeunt, interficiant impune, aut abjiciant ubilibet conculcandam a prætereuntibus, aut a canibus devorandam. Hinc æstimari potest, quanta strages et jactura fiat animarum. Infortunatos igitur partus primo conquirendos, deinde bapti-

zandos, et Christianis educandos nutricibus dedit. Laudavit universa Japonia charitatem, et in partem sumptus operisque præclari sponte venit. Magnus præterea lepris laborantium in Japonia numerus est. Urbibus ejecti jacebant in agris passim sub dio, cunctis occursum aspectumque fugientibus. Id enim generis humani hostis, qui animarum exitio pascitur, plerisque Indiæ populis persuasit, iratos esse Superos hominibus egestate, morbis, aut aliquo alio naturæ vitio affectis, atque adeo mortales jure infensos iisdem esse posse : neque aliud mirantur magis, quam cum audiunt pauperibus et ærumnosis præcipuam sempiternæ felicitatis partem divinis consiliis et Evangelica sponsione destinatam. Organtinus igitur deformi laborantes morbo collegit, iisque recipiendis varia nosocomia condidit. Has misericordiæ domos (id enim nominis impositum illis fuerat) frequentabant Patres, et secum nobile neophytorum, ut quisque splendidissimus erat, agmen deducebant ad ministranda miseris necessaria subsidia.

et leprosos collegerat.

Quem in Japonia religioni splendorem isti nobiles adjungebant, eumdem præstabant in Africa reges. Philippus Montium Leanæ rex, cum defigeretur in conspicuo portus loco prælta crux, addidit se nostris eam gestantibus, et regales humeros oneri pio supposuit. Eversa, quæ imminebant portui falsorum numinum delubra, trophæum crucis illustrarunt. Idem Philippus cum

Religio amplificata in Montibus Leænæ,

sororem ac tres suos fratres ad baptismum perduxisset, sacram ceremoniam insigni apparatu celebrari voluit, qui multos dynastas ad imitandum permovit.

et Foræ in Guinea.

Philippo non cedebat Petrus, rex Toræ, in eadem Guinea. Feminas principes, ipsius ante baptismum, uxores in partem bonorum quâ fruebantur, et christianæ Fidei, vocavit : vicinis regulis aliis superstitiones, aliis vitia, multis idola eripuit. Unus illum angebat dolor de filio primogenito, quem nullæ vincebant cohortationes et blanditiæ, nulli metus ab insano dæmonum cultu absterrebant. Quid plura? ne videret Christianum patrem, procul discesserat. Respexit se tandem, rediit ad patrem, Christianam Fidem amplexus et baptizatus est. Rex filium, tanquam natum denuo, et meliori donatum vita complectens, lacrymas, paterni testes gaudii, pro voce fudit.

Deseritur urbs S. Jacobi in Tucumania.

Aliquid damni Societas accepit in America, et oppidum Sancti Jacobi primarium Tucumaniæ deserere coacta est, quia servitium personale Indorum non tantum verbis, et scriptis, sed multo magis factis condemnabat. Quid esset servitium istud, paucis explicandum est. Cum primum Hispani religionem in Americam Australem invexerunt, impositum fuit Indis vectigal quoddam seu tributum, quod singuli præstarent viritim Hispanis bene de republica meritis. In eo consis-

tebat hoc tributum, ut Indi certam navarent operam Hispanis, non vernilem tamen, sed liberalem et minime laboriosam : item ut iisdem fruges et alia hujus generis offerrent. Hispani quidam, eo non contenti, exigebant ab indigenis obsequia servilia et permolesta, imo illos tamquam mancipia vindicabant sibi, cum eorum uxoribus et liberis, et a suis abductos pagis facere opus cogebant nulla mercede, interdum etiam hasta, ut dicitur, posita vendebant. Indi, ut mortalibus nihil est carius libertate, jugum Hispanorum eam ob rem sæpius excusserant, invitati ad religionem Christianam, adduci non poterant, ut eam susciperent, jactura libertatis emendam arbitrati. Catholici reges, Limanus Archiepiscopus, doctissimi quique theologi servitium istud personale idcirco dictum, quia exigebatur ab Indorum personis, injustum ac vetitum omnino esse pronuntiaverant. Sed malum, innato mortalibus vitio, qui quod volunt, facile verum justumque esse sibi persuadent, ita inoleverat, ut passim omnes affirmarent, usurpatam tot annis consuetudinem, et introductam communi consensu, vim justæ legis obtinere.

Servitium personale in India.

Hanc opinionem cum palam Socii refutarent, gravem apud omnes invidiam susceperunt. Ea tamen deterritus non est P. Didacus Torres, quin mancipia Indica, Chileno Collegio nuper donata manumitteret, idonea laborum mercede omnibus

P. Didacus Torres.

repensa. Idem in Tucumaniam progressus, Indos omnes, qui opus in collegio Cordubensi faciebant, libertate frui voluit, ac si quam navarent nostris operam, ultro ab illis, ac mercede proposita, præstari. Quanto major numerus mancipiorum erat in oppido S. Jacobi ejusdem Tucumaniæ, tanto gravius offensum est apud cives præcipuos, qui suas opes multitudine servitiorum metiebantur. Ubi de Provincialis adventu percrebruit, debacchantur in Societatem, perturbare, ut aiebant, ac miscere omnia solitam. Provincialis Episcopum et reliquos Sacerdotes cum ipso populo infestos animadvertens, tempori cedendum, et urbem in præsenti deserendam judicavit, sociosque vicinam in civitatem S. Michaelis, ipsos evocantem transtulit. Statio quoque Societatis posita in urbe Mendoza, per quam frequens e Chilensi regno in Tucumaniam transitus est. Tumultuari populus initio cœperat, futurum clamitans, si admitterentur Patres, ut vastitatem et egestatem in provinciam inducerent, ereptis mancipiis, quorum possessione res Hispanorum opesque stabant. P. Didacus Torres civitatis primores docuit, quanta esset apud ipsos penuria Sacerdotum, quanta Indorum calamitas, ignorantia, destitutio. Movit illos orationis veritas, et spretis vulgi rumoribus, Socii sunt accepti.

Annus Christi 1610 : Societatis 71.

Amisit hoc anno suum regem Gallia, suum parentem Societas, Henricum IV, in quo summis omnibus dotibus ornando certasse natura simul et fortuna videbantur. Egressus regia pridie Idus Maias, venerat in angustum urbis vicum, ubi ejus rheda præeuntibus retardata plaustris, hærere aliquamdiu coacta est. Dilapsis huc atque illuc, ut viam expedirent, stipatoribus qui regalem cingebant et servabant rhedam, armatus cultro sicarius, caput in eam intulit ex improviso, et regem gemino vulnere percussum exanimem stravit. Detestabili parricidæ nomen Franciscus Ravalliacus, Inculismensis, et proletarius Lutetiæ ludi magister: facinoris causa, impius in Regem furor, quem hæreticorum esse fautorem audiebat. Flevit optimum Principem, haud secus ac patrem Societas, cui præter cetera beneficentiæ singularis argumenta, cor suum ante mortem, quandocumque illa obveniret, donaverat, ac Flexiam deportari voluerat. Illuc a Patribus delatum est altera post Pentecostem feria. Procedebant linteati omnes, prosequente in equis nobilitate. P. Cotonus Regi de se ac tota Societate nostra tam bene merito, oratione lugubri, quam amor dolorque dictaverant, in Flexiensis collegii templo parentavit. Luctuosa mors Regis Henrici IV.

Tam illustre regii favoris pignus, quod Societatis adversarios placare debuerat, illos acrius

Patres de Regis nece accusati et defensi,

inflammavit. Ravalliacum inducere conati, ut Patres tanti sceleris auctores, aut saltem conscios fuisse diceret, cum utrumque constanter, et palam pernegaret; eo delapsi sunt, ut tetrum scelus a Jesuitarum doctrina profectum esse contenderent. Eo consilio protulerunt quædam capita libri de Institutione principis, a P. Joanne Mariana, Hispano, conscripti, et hac armatam doctrina manum impiam, in facinus detestatum erupisse vociferantur. Ravalliacus interrogatus et excussus planissime respondit: Marianæ nomen aut librum numquam sibi cognitum, ac ne auditum quidem fuisse. Hac gemina spe depulsi adversarii, nihilominus instabant, et Marianæ, cujus librum publice comburendum curaverant, doctrinam toti Societati communem esse affirmabant. Demonstratum est, neque illam a nostris tradi doctoribus, neque a Societatis Præposito fuisse toleratam, imo constitutis gravibus pœnis prohibitam. At enim, inquiebant, nullum vobis librum vulgare licet sine approbatione Præpositi Generalis : ita leges vestræ jubent. Explicata igitur est ratio libros approbandi et consuetudo usitata in Societate. Præpositus Generalis certos homines constituit, quibus negotium datur, ut libros in lucem edendos examinent. Iis si liber quispiam non indignus luce videatur, emittitur. Quis autem nescit, alia esse, ac perquam diversa hominum in singulis fere causis et nationibus judicia? aliter Hispanos

ob librum P. Marianæ.

sentire, plerisque in rebus, aliter Gallos Italosve? imo nonnullis videri quædam non improbanda, quæ aliis cautionibus pro ratione temporum ac locorum merito reprobanda censeantur? Ita liber Marianæ, a duobus tribusve Societatis doctoribus Hispanis approbatus exierat, ac si quis ex eorum judicio de Societate tota existimari velit, iniquus sit. Sane cum vulgatur aliquid ejusmodi ab aliquo religiosæ familiæ scriptore, nec reclamat Ordinis moderator, nec publico et gravi monumento suam et suorum mentem ac sententiam declarat; nec merita severitate privati hominis incuriam vel temeritatem coërcet: censere tum possis hanc esse communem totius corporis doctrinam? Edito P. Marianæ libro, statim reclamavit Societatis moderator, edidit publicum decretum, pœnas graves imposuit, prospexit in futurum, ne quid ejus generis accideret.

His animadversis rex Ludovicus XIII de sententia Reginæ matris, Principum, ac procerum, comprimendam amplissimo diplomate calumniam, et declarandam Societatis Jesu innocentiam existimavit. Addo Henrici Gondii, Parisini antistitis, luculentum testimonium, ut ordinem utrumque regni præcipuum, idem in hoc negotio sensisse constet; iisque respondeam, qui veritatis ignari, aut imbuti odio, nobis adhuc, velut in Ravalliaci parricidio deprehensis convictisque insultare non cessant. « Henricus Gondius, Parisiensis Episcopus,

» Regis Consiliarius : Cum post extinctum nefarii » parricidæ manu Regem, cui Deum propitium » ac placatum esse optamus, plurimi rumores, » non sine gravi Patrum Societatis Jesu damno, » hac in urbe disseminati fuerint : Nos honori » dictæ Societatis ac famæ consultum volentes, » intelligentesque, non aliunde illos profluxisse, » quam ex odio nonnullorum et malevolentia in » eandem Societatem : denuntiamus omnibus » ejusmodi rumores meras esse calumnias, et » conficta falso adversus illam crimina, in Catho- » licæ, Apostolicæ ac Romanæ Ecclesiæ detri- » mentum. Patres vero, non modo ab istis scele- » ribus abesse longissime, verum etiam ipsorum » Ordinem tum propter doctrinam, tum propter » vitæ integritatem, Ecclesiæ Dei perquam uti- » lem, et huic regno valde fructuosum esse. In » quorum Fidem etc. Sexto Cal. Quintiles MDCX. » Hæc non edita clam, sed in oculis Lutetiæ ac regni : non ab ignotis et obscuris auctoribus profecta; sed ab Imperii et Sacerdotii Principibus; non precibus data, vel gratiæ, cui nullus profecto in tanti sceleris vel levissima suspicione, locus fuisset; sed perspectæ veritati, et innocentiæ tributa.

Rex eo non contentus edixit mense Sextili, ut collegii Parisiensis scholæ ab aliquot post nostrum Lutetia discessum annis clausæ, aperirentur. Annuit Universitatis pars potior, si legibus suis stare non cunctaremur, et in idem cum ipsa corpus

cooptaremur. Hanc vero conditionem, olim nobis propositam, ultro accipiebamus. Negotium confectum fere jam et expeditum, Edmundus Richerius, Facultatis Theologicæ Syndicus disturbavit. Jamque contra Societatem turbulentæ declamationes parabantur, cum Regina, quæ Regnum pro filio adhuc impubere administrabat, tumultum metuens, causam hanc omitti plane jussit, et frementes adversarios compescuit. Quod efficere viva voce non potuerant, id famoso libello consequi tentaverunt. Titulus libro præfixus erat *Anticotonus*. Satyra nempe in P. Cotonum specietenus fabricata, reipsa in Societatem universam, quæ per Cotoni latus petebatur. Magistratuum æquitate factum est ut liber exitialis, et publicæ infestus tranquillitati, tortoris manu publice laceraretur. Infame scriptum ipse P. Cotonus egregie confutavit. Ejus vero præcipuus artifex, qui manum venalem et stilum inimicis Societatis commodaverat, calumniæ gravitatem perspexit stimulante conscientia, et resarciendæ famæ necessitatem. Itaque Cotonum adiit supplex, qui religiosæ humanitatis memor, culpam agnoscenti reo condonans, ejus nomini ac famæ pepercit.

Famosus libellus Anticotonus.

Qui Galliam et Societatem conturbavit Regis obitus, idem Constantinopolitano domicilio gravis exstitit. Jamdudum studuerant Societatis adversarii persuadere primario Imperatoris Turcici administro, nos exploratores esse a Romano Pontifice

Turbatur Constantinopoli domus.

summissos. Quo sermone incitatus Vizirus, remittere in Italiam Patres animum induxerat. Adest repente lictorum et militum caterva. Comprehenduntur, vinciuntur, jubentur discedere, sic Imperatori placere. Vix tempestatem, quæ omnia extrema minabatur, Baro Salignacus, Christianissimi Regis Orator, auctoritate, gratia, et deprecatione amicorum, placavit.

Res Angliæ; At in Anglia Societatis et nominis catholici vexatio recruduit. Novæ leges promulgatæ, nova ergastula prioribus addita, et nescio quis carceris custos, carcere suo ipse inclusus fuit quia duos Sacerdotes colloqui simul passus erat. Contra tot hostes pugnabant e suis latebris Socii, exemplo, cohortationibus, libris. Multi prodierant a P. Roberto Personio conscripti, e quibus incredibile est quantam caperent utilitatem erroris æque ac veritatis cultores, hi ut docerentur, illi ut dedocerentur. * Et quoniam præcipua legum acerbitas in eos comparata erat, qui hæreticorum adire templa recusabant, aut impium fidelitatis juramentum edere, utrumque hoc caput duplici libro Personius explicuit. Ac priori quidem Langdallum, doctorem Anglum refellit, qui operosa lucubratione demonstrare studuerat fas esse catholicis templa Protestantium et sacra frequentare. Posteriori libro, ipsum Angliæ Regem confutavit, qui Juramento Fidelitatis nihil aliud peti volebat, quam civile quoddam obsequium et debitam

* *Hist. P. V. lib. XIII.*

utiles libri P. Personii;

legitimo Principi fidem. Cum ob istos aliosque perutiles libros cognitus in Anglia Personius et invisus esset, coactus fuerat cedere patria, quam absens juvare perrexit. Piis laboribus immortuus est hoc anno, ætatis quarto et sexagesimo, Societatis trigesimo sexto. *P. Roberti Personii*, aiebat Alanus Cardinalis, *industria, prudentia, zelus, dexteritas in agendo et scribendo omnem superat fidem.* ejus mors.

Non erat æquior Catholicis in Transsylvania, et Societati Gabriel Bathorius, quam Jacobus in Anglia. Bathorii odium in religionem immane, indoles ferox, inhumana, crudelis. Proceres catholicos, quibus pietas, et Fides Romana maxime nitebatur, alios aliis modis et suppliciis exterminavit. Patres quibus permissa instar ingentis beneficii fuga, in vicinam Transsylvaniæ Valachiam pervenerunt tertio Nonas Apriles. A Valachiæ Principe perhumaniter accepti, ad catholicos Hungarice verba fecerunt, summa omnium voluptate; nam concionem ab annis tribus nullam, Sacerdotis qui linguam calleret inopia, audierant. Inde Moldaviam ingressi, Constantinum Principem, egregiæ indolis adolescentem convenerunt, qui licet Schismaticorum erroribus implicatus, præclaros exules detinuit apud se aliquandiu, ac discedentes in Poloniam commeatu liberaliter instruxit. Quid agant Transylvani PP. ejecti

Patrem Robertum Nobilium insectati sunt in Asia non inimici Societatis, non religionis hostes;

Urgentur accusationes P. Nobilii.

sed ipsimet Evangelii præcones, et ejusdem Societatis theologi. Mirabantur novam divinæ legis propagandæ viam ab eo feliciter adhibitam; suspicati sunt ipsum nimis indulgere moribus ethnicorum, et profanas consuetudines quas exstirpari oportuisset, ab illo retineri ac foveri. Hoc Patres nonnulli qui Maduræ, qui Cocini versabantur, et palam fremebant, et cum Visitatore Societatis in India graviter sunt questi. At Cranganorensis antistes, quo probante viam hanc P. Nobilius inierat, Societatis theologos Cocini, et Maduræ curavit admonendos ne sententiam ferre properarent : controversiam hanc non theologici tantum fori esse, verum etiam sui : quidquid fecisset P. Nobilius auctore se atque approbatore factum : proinde negotium illi facessere, aut litem hanc urgere desinerent. Ita tunc illi quidem quieverunt, non item alii quos Goæ et in India procul, quos in Europa, rumor sinister afflaverat; utque est ingenium famæ, quæ sensim eundo crescit et omnia eminus in immensum auget, narrabatur Nobilius fabricasse monstrum quoddam e ritibus ethnicorum, et Christianorum turpiter conflatum, imo Fidem ipsam ejurasse, ac thura falsis Numinibus adolere. Hæc aliquanto post Romam usque perlata gravi metu et sollicitudine Socios affecerunt, quippe qui non ignorarent quantum sit in novitate periculi, præsertim ubi causa religionis agitur. Cardinalis Bellarminus præ ceteris, quem

P. Nobilius cognatione attingebat, scripsit ad eum grandem epistolam amoris plenam et doloris. Quid illi objecerit, quid responderit Nobilius, quoniam hæc ad sequentes annos pertinent, omittimus, omnia suo loco narraturi.

In Mogole leviores cum Mahometanis pugnæ.

Quæ objiciebantur Patribus in aula Mogolis a Mahometanis multo erant leviora, nec tam refutatione indigebant quam contemptu et silentio. Ut vel tunc patuit, cum interrogatus ab Imperatore Mahometanus ut Mahometem prophetam et a Deo missum fuisse doceret, protulit insigne, ut aiebat, miraculum ab eo patratum, quod Lunam e cœlo lapsam et isto casu confractam, restituisset in integrum, duabus ejus partibus idoneo ferrumine commissis, et coagmentatis. Jussus respondere Societatis Sacerdos, cum docuisset lunam dimidia terra multo majorem esse, nec labi cœlo posse, nec lapsam fuisse, risit Princeps, et Mahometani doctoris ineptias explosit. Haud paulo gravius erat quod idem Imperator percontatus est a Patribus, qui pulcherrimam imaginem Christi e Cruce pendentis obtulerant. Quæsivit quid esset causæ cur honorem tantum Cruci haberemus? cur Christum, si Deus esset, potius inter latrones et sicarios medium pingeremus, quam angelorum cœlesti stipatum choro, in patibulo potius, quam in solio? Cui P. Emmanuel Pinierus: si quispiam, inquit, istorum procerum, quem amplissimis affecisses honoribus, et in altissimo collocasses

dignitatis gradu, se, ut caput tuum leto imminenti subduceret, objicere neci acerbissimæ ac turpissimæ non dubitasset, eumne libentius iis, quos a te cepisset fulgentem honoribus, quam pro te morientem, cerneres? Christus non ob ullum scelus suum passus est, sed ut nostra scelera lueret; debitam humano generi pœnam suscepit in sese ut omnes liberaret. Hæc nobis placet charitas, hæc vindicis nostri assertorisque mors ab oculis abesse mentibusque nostris nunquam debet. Ea similitudine plurimum delectatus est Imperator; at eadem Saracenis Mahometanisque valde displicuit. Vehementius excanduit improborum dolor cum piis imaginibus regiam omnem ornari conspexerunt; nam imagines execrantur, id quod hauserunt a Judæis. Illas vero ipse Imperator adeuntibus explicabat, nihil ut in aula, in regia urbe notius, quam Christi vita morsque foret.

Sinarum Imperator edocetur.

Simili quadam arte usus est in aula Sinensi P. Matthæus Riccius, ut Christi, et legis divinæ notitiam Imperatori insinuaret. Cognita jam illa quidem toto erat Imperio. Confluebant quotidie legati e remotissimis provinciis ad Riccium, qui ab eo peterent magistros legis, quæ Sanctos (ita loquebantur) faceret. Comportabant alii falsorum simulacra Numinum, eaque ante Crucem aliquam congerebant in cumulum, in piacularibus flammis consumebant, gratum Superis victoribus sacrificium. Restare unum videbatur, et Imperator

Christiana cognosceret sacra, quæ si amare, aut magni saltem æstimare intelligeretur, totius Imperii ad Christum adducendi non vana spes ostendebatur. At Principis ad aures nulla patebat via. Copiam sui, more Sinico, ne indigenis quidem proceribus faciebat, eumque Riccius, nisi per interpretes et eunuchos ethnicos, allocutus nunquam erat. Aditum, quem gentis negabat consuetudo casus felix, et artificium denique impetravit. Geographicam tabulam prægrandem Riccius ediderat, in eaque Orbem terrarum, uti est, depinxerat, non qualem ambitio Sinarum fingebat, qui suum velut in mundi centro collocabant Imperium; regna cetera, tamquam Orbis quasdam fimbrias, in angulos parce ac strictim conjiciebant. Eam ob rem nemo erat ausus tabulam hanc in aula proponere, aut ostendere Imperatori, certissimæ necis metu, si minus placuisset; nec placituram apparebat : quantum enim addebatur Orbi reliquo, tantum imperio detrahi Sinico videbatur. Accidit ut eunuchus, occasione data, Principi recentem quamdam et egregie pictam geographiæ tabulam subobscure indicaret. Videndi cupidus illam continuo expetiit. Oblatam intuens, quæsivit an ita se res haberet; cumque omnia suis mutata recte spatiis, et locis aptata, cognovit, non est ausus veritatem, licet ingratam, damnare; approbavit opus, auctorem laudavit, eique per Mandarinos, regiæ geographiæ præfec-

tos, significari jussit, ut decem ejusmodi tabulas in Sericis excudendas pannis curaret, quibus conclave regium ornaretur, et quas legere per otium possit. Ut summa Sinensium Imperatorum auctoritas est, et apud populum veneratio, quidquid ab iis vel beneficii, vel honoris proficiscitur, quantulumcumque sit, immane quanti æstimatur. Riccius ferebatur in cœlum, tabula geographica ubique legebatur. Eam sic adornaverat, ut in margine inter explicandas Orbis partes, intexta et exposita sic legerentur quæcumque ad cognoscendam religionem Christianam pertinebant, ut dividi cognitio geographiæ a religionis cognitione non posset : ab Imperatore ad primores regni, ab his ad populam utraque notitia brevi fluxit.

Obitus P. Matthæi Riccii.

Hoc postremum P. Matthæi Riccii opus fuit, quo absoluto, in terris vivere desiit, quinto Idus Maii. Annos vixerat duodesexaginta, in Societate vero undequadraginta, et in Sinensi Missione septem et viginti. Patria illi Macerata, Piceni civitas; animus ingens et cuilibet quantumvis arduo labori par; memoriæ fides incredibilis, ingenium Europæis artibus ac disciplinis, idemque peregrinis et Sinensibus excultum, virtus quæcumque virum apostolicum commendare potest. Illatus in peculiarem et illustrem tumulum est, auctoritate publica ipsi tamquam optime de publica re merito concessum, prælata palam Cruce, sequentibus cum accenso face Christianis, omni Pekino spectante ac laudante.

Minori quidem pompa elatus est inter Cafros P. Joannes Paulus Alexius; habet ejus tamen mortis occasio nonnihil posteritatis memoria non indignum. Lusitani ad regnum Monomotapæ vela fecerant hoc anno. Classem sex e Societate conscenderunt. Navis prætoria cumulo arenarum per incuriam gubernatoris allisa est. Æquor paulatim relabens vectoribus enataudi facultatem dedit. Ergo pro se quisque in uliginosum desilire littus, ægroti vado se committere, omnes sibi cavere unus, aliorum obliti. Restabat, elapsis reliquis, vile mancipium, adolescens e Cafrorum gente, quem conantem frustra erumpere detinebat morbus. Hunc P. Alexius imposuit humeris, ac per duodeviginti passuum millia, non sine gravissimo periculo deportavit, sæpe arenis pectore tenus immersus, sæpe offendens ad cautes, et corallia, quorum aucti ramuli crura pedesque lacerabant. Nec dubium quin illa charitas ipsi vita steterit : nam inde contracto morbo paulo post exstinctus est. Ejus præclarum haud facinus; dum adhuc pene puer esset, proditur. Cum enim fugam a seculo meditans, receptum in Societatem pararet, ac viam intercludi sibi cerneret a parentibus unicam nobilis familiæ prolem nitentibus retinere; ipse coopertum sordibus et illuvie puellum in platea deprehensum arripuit, duxit domum et patris matrisque genibus affusus. En, inquit, vocat me Christus Jesus in Societatem suam, pau-

P. Alexii apud Cafros charitas

et pia mors.

Ejus gesta.

perculum hunc puerum accipite meo loco; hic filius vester erit. Attoniti hac oratione majorem in modum parentes, ratum esse quod petebat jusserunt, et adoptato puero, filium suum Deo læti lubentesque donaverunt. Alexius huic initio consentaneam deinceps vitam in Societate duxit. Ceteri Patres qui cum illo solverant e Lusitania, in primariam regni Monomotapæ civitatem progressi ad omnem augendæ firmandæque religionis curam incubuerunt. Quanti fructus fuerint collecti docet unus ipsorum P. Suarez, in litteris anno sequente scriptis, in quibus trecentos quinquaginta ethnicos ad Christi fidem conversos, restitutam in Christianis morum sanctimoniam, sparsam ubique divinam sementem docet.

Ad fidem adductæ gentes in America.

Copiosam pariter messem dedit Cinaloa, portio agri Mexicani, sed facilem et expeditam. Paulo difficilius, idola sua, et arma Hispanis inimica projecerunt Xiximes, Cinaloensibus finitimi. Non hominibus tantum, sed ipsi propemodum humanitati bellum indixisse videbantur. Carnibus humanis ingurgitabant sese, ornabant sua mapalia cæsorum ossibus et exuviis; foribus trunca præfigebant capita, erutos vero capitibus oculos inserebant acutis arborum ramis. Hæc læti spectabant poma, humus omnis tabe manabat ac sanguine. Nunc demum inhumanos et belluinos exosi ritus, humanis cœperunt moribus vivere, imo divinis, *naturæ divinæ* per baptismum *consortes effecti.*

Bellum quoque diuturnum ac difficile gerebant cum Hispanis ac pietate Calchaquini, natio Paraguaiæ. Vallem amplam obtinebant, ebrietatis, luxuriæ, crudelitatis domicilium. Mentionem pacis omnem respuebant, servitii personalis metu. Patrum nihilominus hortatu promiserunt se ab armis discessuros, modo pristinam retinerent libertatem, et Societati sedes in valle sua poneretur, cui scilicet norant antiquius esse, optatius nihil, quam ut Indis omnibus libertas debita et incolumitas constaret. In eas leges ictum fœdus inter Hispanos, et Calchaquinos, statimque in undecim pagis majoribus posita sunt sacella. Orantibus barbaris, ut Fidei sacramento donarentur, paucis concessum. Delectu habito, adulti ducenti, cum ipso Calchaquinæ vallis duce, tribusque gentis Principibus baptizati, præter infantes quingentos. Ter Vallem totam Socii peragrarunt, idola concremantes, exscindentes vitia, superstitionem ubique debellantes. P. Didacus Torres Provinciæ præpositus, opus inchoatum de asserendis in libertatem mancipiis et evertendo personali servitio urgens, urbem conceptionis in eadem Paraguaia petiit, ibique ut aliis in urbibus frena cupiditati, et modum avaritiæ posuit. Inde contendit in Assumptionis urbem, in qua domum Professorum mutavit in collegium, ex quo videlicet majorem Indos juvandi facultatem fore sperabat. In itinere lustravit erudivitque populos qui accurre-

Collegium Assumptionis in Paraguaia;

bant, Frontones, Apibones, Mataguos, Nanticos, Mogosinos, et Tonocatanos, quorum inscitiam lamentabilem deplorans avebat renavigare in Europam, ut Sacerdotes tot eruditos, tot probos, tot male feriatos, obtestaretur, ac pereuntium populorum commiseratione moveret. Inter varia Societatis domicilia ornata, aucta vel stabilita, Namurci collegium in Belgio conditum est. Sedit ea civitas ad Sabis et Mosæ confluentem, Episcopi sede, provinciæ senatu, commercio, et arce ad miraculum munita insignis.

in Belgio, Namurcense.

Annus Christi 1611 : Societatis 72.

Vexatio Societatis recrudescit in Gallia.

Quæ Regis Henrici IV patrocinio et benevolentia florebat in Gallia Societas, eo sublato gravissimis per annos aliquot procellis fuit agitata. Eam adversarii describebant ut exitialem regno; ejus doctrinam, ut libertatibus quas appellant Ecclesiæ Gallicanæ, inimicam; ejus privilegia, ut Ordini hierarchico prorsus infesta. Perversis eorum conatibus favere videbatur ætas Regis pueri pupillaris : causam in forum deduxere, petieruntque a Senatu ut omnis docendi facultas adimeretur Societati, imo ut e regno toto pelleretur. Accusandi partes sumpsit Petrus Martellerius; tum Hardivillerius, Academiæ rector; denique Servinus regius causidicus. Is biduo toto disseruit et sub uno posuit aspectu quidquid contra Societatis doctrinam, mores et institutum invidiose

jactabatur. Senatus Princeps Patrem Christophorum Baltasarem, Provincialem, qui cum delectis aliquot Patribus audiebat, admonuit ut responderet. Ille de doctrina, quoniam causæ cardo in hoc maxime capite vertebatur, dicere exorsus, negavit nos doctrinam invehere novam, sed eam ab Ecclesia et academiis catholicis probatam et receptam sequi, neque nos a Theologica facultate Parisiensi dissentire : mox ad certa capita singillatim delapsus, quæ difficilem et sane lubricam responsionem habent, de immunitate clericorum, de Pontificis Romani supra Concilium auctoritate, aliisque id genus, breviter et apposite ad invidiam declinandam respondit. In quo cum assentientes habuisset Cardinales Perronium et Gonzagam, et quicumque tum Parisiis erant Præsules doctoresque celeberrimi, concidit elusus adversariorum impetus, calumnia obmutuit. Accessit ad erigendam Societatis causam celeberrimi oratoris Montholoni lucubratio plena veritatis et eloquentiæ, quæ cum in lucem fuisset edita, Martellerii satyra fuco et pigmentis oblita, defloruit.

Initium Bohemicæ procellæ.

Non tam facile sedata est tempestas quæ Societatem in Bohemia exercuit. Hujus initium incurrit in hunc annum, exitus in annum MDCXVIII, quo damnata exilio Societas, Bohemia tota cessit. Nunc quidem intra terrores et minas furor improborum stetit, arrepta occasione seditionis a militibus concitatæ debita stipendia negari sibi

vociferantibus Pragæ. Visa est occasio præclara Hussitis aliisque religionis hostibus insitum in catholicos odium saturandi; prædæ spes plebeculam stimulavit. Concurrunt, et specie seditiosos milites compescendi, faciunt impetum in cœnobia, eaque diripiunt; Sacerdotes et viros religiosos contrucidant; jamque collegio Societatis, ut præclari laboris metæ ac præmio luculento imminebant, cum furentes repressit lecta equitum manus, a Pragensi collecta magistratu. Clamant nihilominus latere seditiosos in collegio, inde exturbandos; plenum armorum esse, inde auferenda: cum neque milites, neque arma immissis exploratoribus fuissent deprehensa, vesana plebs hæreticis facibus accensa, in ipsos exploratores, et equites irruit. Irritati conviciis invehuntur in confertam multitudinem, et audacissimum quemque in fugam convertunt : iterumque ac tertio redeuntes infestis telis submovent. Successit nox formidolosior. Dilapsis equitibus patebat collegium direptioni certissimæ ac vastitati. Crudelis ac funesta mors singulis pene momentis expectabatur. Seditiosorum turma numerosior ad expugnandam domum convenerat, ac nisi fuisset impetratum militare præsidium, de collegio et Patribus actum erat. A militibus depulsi, ad villas rusticanas unde vectigalia collegii petebantur, diripiendas convolarunt : horrea frumento spoliata, pecus abactum, dirutæ maceriæ, deformata

miserum in modum ædificia, ne ipsis quidem januis fenestrisque temperatum. Redacti Patres ad summas inopiæ angustias, precarium ægre spiritum pia civium liberalitate sustentarunt.

Direptum Commotovii et

Durior fortuna collegii Commotoviensis in eadem Bohemia fuit. Direptum funditus et exhaustum tristia diu furoris impii monumenta retinuit. Damni pars longe maxima judicata est librorum jactura, quorum numerus ingens et bene lectus erat. Lacerati, conculcati, aut in fluvium, quo domus alluebatur, dejecti sunt. Socii vicinas in ædes recepti, manus impias effugerunt.

Albæ Juliæ collegium.

Eodem in religionem odio incensi Lutherani collegium Albæ Juliæ in Transsylvania occuparunt, ac solemni decreto pœnisque gravissimis propositis, sanxerunt ne quis deinceps catholicus Sacerdos pedem in Transsylvaniam inferret. Hos improbis animos faciebat Gabriel Bathorius, Princeps Transsylvaniæ qui, cæsis aut fugatis proceribus catholicis, infectum illorum cruore gladium ad Calvinianum antistitem misit, admonens ut hoc exemplo in Papistas sæviret. Neque tamen Bathorio perficere quod maxime moliebatur licuit, ut Sacerdotes catholicos penitus amoveret. Non pauci latebris tecti mansere, imo unus e Societate in omnium oculis. Ille apud matronam illustrissimam degebat, in arce Somlio, Hungariæ finitima. Hoc a Bathorio impetraverat matronæ frater, Principi fidus in paucis et præfectus ærarii. Ad hanc

arcem, tamquam ad portum se recipiebant jactati tempestate catholici : hinc sacramenta et alia Christianæ vitæ ac pietatis præsidia petebant. Alius e nostris in Zakmariense castellum evocatus ab Andrea Docio, catholico, navavit operam indigenis eo utiliorem, quod totum hunc tractum, qui ad Tibiscum flumen late porrigitur, obtinerent Calvinistæ, nullo Sacerdote, qui catholicos juvaret, relicto.

Novorum Domiciliorum ortus

Tot collegiorum pericula et clades consolata sunt non pauca Societatis domicilia hoc anno constituta. Collegium Rhodumnense, in ea parte Lugdunensis agri, quæ Fovesium dicitur, et quam olim Segusiani tenuere : suas in urbe ædes ad collegium ponendum dederat Jacobus Cotonus, P. Petri Cotoni frater. Vesulanum, in Burgundia Sequanorum, quem vulgo Liberum Comitatum vocant. Tifernas in Umbriæ civitate quæ Tifernum dicitur, cognomento Tiberinum, quia Tiberi est imposita. Asculanum, in Piceno. Soranum in regno Neapolitano, et Aprutii ulterioris limite. Giennense in Bætica, cui sua tamen forma, et collegii nomen nisi aliquanto post non accessit. Bambergense in Germania et Franconiæ, ut vocant, circulo; Passaviense in circulo Bavariæ; Plocense in majori Polonia. Domus probationis Mechliniensis in Brabantia. Antonius Canophus, Archiepiscopus Arborensis in Sardinia, Seminarium a se fundatum Societatis curæ commisit.

In aliis domiciliis Societatis multa sunt inventa et perfecta ad munimen decusque pietatis. Insignis erecta est Neapoli Congregatio, Clericorum Secularium vulgo nuncupata. Illius conditor P. Franciscus Pavonus, ad fovendam augendamque in Clero virtutem divino consilio natus, ut hæc sodalitas et editi ab eo libri docent. Quo pacto coaluerit hæc Congregatio, quibus exercitationibus utatur, et quo fructu, explicat Historiæ quinta pars*. Ex hoc illustri cœtu prodierunt ministri Sacrorum excellentes, qui Christianæ legis intelligentia, pietatis ardore, morum integritate, non modo urbi Neapolitanæ, sed etiam Italiæ toti, ornamento pariter et exemplo fuêre. Uno e Summis Pontificibus sodali olim suo gloriatur, Cardinalibus decem, Præsulibus centum octoginta, Sacerdotibus innumeris non vulgarem adeptis opinionem eximiæ sanctitatis. Anno MDCCV sodales quadringentos sexaginta duos numerabat. Ejusmodi sodalitatum vim admirabilem multa testantur, quæ legere licet in nostris Annalibus; hanc uno alterove adhuc exemplo notare placet.

Neapoli Congregatio Clericorum sæcularium

* *lib. XVII.*

Hispalis, celeberrimum Bæticæ emporium ut mercatoribus et opibus, ita litibus et litigantibus abundabat. Quis enim opes unquam satis pacatas habuit? Inde quæstuosum forum ac fraudulentum : auro venale jus, leges pretio addictæ, sufflaminatæ molis artibus lites, pulsa fides et æquitas. Hac sinistra fama, nec omnino falsa, forum His-

palense laborabat, cum Deus uni e nostris mentem injecit, ut piam e fori principibus conflaret sodalitatem, quibus æquitatis tuendæ cura incumberet. Ab iis legum tutela palam strenueque suscepta; proscripta turpis judiciorum ac sententiarum nundinatio, non judicum ora vincta muneribus, non aures clausæ pretio tenebantur; non artibus veteratoriis et strophis implicatæ protractæque lites in forensi tabulario senescebant. Ad ipsum sodalitii præpositum non paucæ deferebantur controversiæ, quæ adhibitis in consilium peritis sodalibus, absque impensis aut strepitu, ex æquo et bono dirimebantur.

Quid crassius hebetiusque toto genere piscatorum? Neque erudiri valde curant, neque facile, a quibus erudiantur, inveniunt. Data illis opera superiore anno fuerat Neapoli, tantusque decor moribus incultis additus, ut antiqua divinæ gratiæ vis renovata videretur, quæ e piscatoribus Apostolos elaboravit. Quid immanius duriusque militibus? Quid mancipiis tardius aut malignius? utrique, sodalitatum beneficio, mores improbos, et insitam pravitatem exuerunt.

In Japonia Sodalitium SSmi Sacramenti;

Eadem arte Japonensis Episcopus pietatem Ecclesiæ sibi commissæ vehementer illustravit, constituto SS. Sacramenti sodalitio. Factum est illi splendidum initium a solemni supplicatione, quam sodales duxerunt amictu candido spectandi, et cerea præ manibus face. Celebrato peculiari qua-

dam pompa sacrificio quolibet mense omnes intererant, ac cœlesti accumbebant epulo : frequentes Christum in Eucharistico sedentem solio visebant interdiu; noctu vero ante valvas templi orantes plerique consistebant. Altera, nec minori apparatu, ducta est per Surungam urbem ubi versabatur Imperator, supplicatio, cum significata Patribus fuit Beati appellatio Fundatori Societatis per Summum Pontificem delata. Præivere populo amplius quadraginta Sacerdotes, sacra omnes amicti trabea. Rem divinam fecit Episcopus solemni Pontificum ritu : nox ignibus festis collucens publicam lætitiam accendit : sed eadem Imperatoris odium inflammavit. Videbatur leges contra Christianos latas abrogasse longo silentio et insidiosa dissimulatione; verum ubi vidit ingentem illorum in istis supplicationibus concursum : postquam eorum augeri numerum in dies, primoribus etiam viris ac dynastis florere, homines e Societate amplius centum tota sparsos Japonia, et amplificando Christi regno unice esse intentos rescivit; ad pristinas revolutus suspiciones et metus, de nomine Christiano penitus dolendo cogitavit. Quis nutantem adhuc et æstuantem in hanc denique crudelitatis sententiam impulerit, anno sequenti explicabitur.

et coorta persecutio.

In imperio Sinensi, sub Imperatore pacis et otii cupido Christiana res satis belle procedebat. Moriens P. Matthæus Riccius successorem sibi

Sinensium Astrologorum

dixerat, ac nostrorum in Sina præsidem Patrem Longobardum, diu in Imperio versatum. Quem multis rebus præclare gestis clarum, error etiam Sinensium astrologorum nobilitavit. Inciderat eclipsis Lunæ in Decembrem anni superioris. Notum est quanta sollicitudine defectiones solis et lunæ observentur apud Sinas. Momenta omnia sic expendunt regii astrologi, ut si de summa Imperii ageretur. Illorum sententias et observationes colligit præses tribunalis astrologici, et suis libratas ponderibus mittit ad Imperatorem, cujus jussu tabellarii concursant omnes provincias, admonentque Proreges de imminente sideris deliquio. Pendent omnium arrectæ mentes atque oculi, et fatale momentum anxii trepidique præstolantur. Sinenses astrologos divinatio sua fefellerat: tota hora deerraverant. Detectus error a P. Longobardo, et ipso eventu comprobatus, gravissimam offensionem populo, stomachum Imperatori, astrologis periculum creaverat, quorum negligentia capite plectitur, instituto gentis. Principem adeunt, supplices pœnam infimis precibus deprecantur, non suum hunc errorem, sed astronomicarum esse tabularum, quibus dum religiose insistunt, lapsi turpiter sint. Orant jubeat illas emendari, et inustam Sinicæ famæ, atque eruditioni notam deleri. Circumspicienti Principi quibus hanc tanti momenti provinciam imponeret, nulli occurrebant præter Societatis Patres, quo-

error utilis Religioni.

rum jam perspexerat insignem doctrinam. Sed peregrinum obstabat nomen, et verò pudor si exteri doctores præ indigenis adhiberentur. Consilio cum præcipuis Mandarinis habito, placuit curam hanc ita Patribus demandare, ut simul iis adjungerentur Sinenses astrologi Paulus et Leo, Mandarini Christiani. Non poterant optatiores ab ipsis eligi Patribus. Editum continuo specimen operis est, regioque approbatum diplomate, ac per totum, quam late patebat, Imperium cum eximia doctorum magni Occidentis laude vulgatum.

Nankini primum vero Deo templum dicatur.

Imperatoris ac procerum benevolentia fretus P. Vanonius templum, quod hortantibus Christianis ædificandum Nankini susceperat, facilius opinione construxit. Inire novam domum non antea Sinæ consueverunt, quam inimicas humanæ quietis, ut aiunt, pestes certis ceremoniis exturbaverint, ac Faustitatem votis vocaverint. Pie usurpandum sibi putaverunt in templo novo Christiani, quod suis in domibus superstitiose faciebant ethnici. Certus igitur dies dedicationi constitutus est, ac denuntiatus præconis voce. Transvecta per populum avide spectantem supellex templi, sacræ divorum reliquiæ, et alia ornamenta. Nihil æque tamen spectantium oculos tenuit, atque modestia Christianorum et pietas, longo ordine inter symphoniacorum festos cantus procedentium. Accessit ingens decus recenti templo et Patrum ædibus, duplex nempe tabula Sinicis

characteribus aureis majoribus exarata, donum Mandarini, Christianam Fidem ante paucos dies professi. Utraque divinæ legis commendationem ejusque sacerdotem continebat. Hoc honoris genus illic habetur eximium, nec dignitatem solum ædibus quarum foribus appenditur, sed etiam securitatem præstat. Socii hæc verba in marmore supra valvas interioris ædis collocato incisa, monumentum posteris esse voluerant : *Nankini, in aula veterum Regum Sinensium, PP. Soc. Jesu posuerunt; et Deo Optimo Maximo primum templum publice dedicarunt V Nonas Maii* MDCXI.

Sinensium Christianorum mores.

Templo ipso, quamvis pulcherrimo et ad omnes Europeæ architecturæ leges exacto, erant ornatiores Christianorum animi, viva Numinis templa, et istis saxeis longe potiora. Humana omnia despicere, cœlestia consectari et divina, subvenire calamitosis, diligere inimicos, dulce illis ac solemne passim erat. Selegerant Patres ex omni numero nonnullos antiquiores, qui præirent ceteris et verbo et exemplo. Illis tradidere baptismi formam, ut eum impertirent non solum infantibus, quæ præda locuples et frequens, verum etiam ethnicis grandioribus natu in vitæ periculum adductis, ac rite institutis. Laboratum est per eam occasionem de baptismi forma, e latino sermone, qui ad eam usque diem in ministrando sacramento fuerat adhibitus, in Sinicum et vernaculum convertenda. Carent enim Sinæ

Baptismi formula in Sinicum versa.

litteris aliquot Europæis; tum, demptis *m* et *n*, nulla Sinica vox desinit in consonantem. Itaque latina formula vix uti poterant indigenæ. Sed cum pronuntiandi ratio in quindecim Imperii provinciis valde diversa sit, metuebatur ne Sinica vocabula significandi vim propriam et necessariam, ubique non haberent. Præterea non occurrebat satis apposita vox quæ Spiritum Sanctum exprimeret. Riccius expectandum censuerat donec, diffusa latius per Imperium Fide Christiana, usus ipse et loquendi consuetudo ratam fixamque vernaculis vocibus ad notanda mysteria necessariis significationem indidisset. Id vero tempus advenisse videbatur. Quamobrem P. Longobardus qui per annos quatuordecim cognoscendis litteris Sinicis operam dederat; P. Cataneus, qui septendecim in eodem studio consumpserat; P. Vanonius, ob elegantiam sermonis, non vulgare inter ipsos litteratos adeptus nomen, collatis consiliis formam baptismi Sinicam confecere; mox communicatam cum eruditissimis Mandarinis Christianis, ab iisque ore uno approbatam, in mores et consuetudinem induxerunt, magno animarum emolumento, quæ vulgato per omnes provincias, quo Patres adire non poterant, salutis remedio, sempiternam sunt vitam et felicitatem consecutæ.

Aditus in Chekiamensem provinciam.

Tanto frui bono cœpit provincia Chekiamensis, in quam hoc primum anno patuit religioni aditus et Societati. Sita est inter provincias Nan-

kinensem, et Fokiensem e regione Japoniæ. Hamceum, urbs primaria palatiis, templis, cœnobiis, et academiis ornatissima. Vocati a primoribus Mandarinis PP. Cataneus et Trigaltius venerunt ineunte Maio. Multos, assidua librorum Patris Matthæi Riccii lectione præparatos, in Christi familiam adoptionis divinæ sacramento inseruerunt. Hospites religiosos exceperat doctor Leo, et ipsorum adventum novo quodam sacrificio consecraverat. Quippe collecta in ædium patentem aream simulacra falsorum numinum, quæ olim mater, conjux, familia reliqua jam melioribus addicta sacris, coluerant, composuit unam in struem, et flammis ultricibus absumpsit.

Angustiæ religionis in Æthiopia.

Vix quidquam in Æthiopia tutum et quietum erat, monachis schismaticis pertinaciter obnitentibus. Refutati, convictique adhuc Spiritui Sancto resistebant. Quin etiam unus e sylvarum, ubi annos ipsos viginti latuerat, umbraculis in hominum lucem progressus, imperium affectare ausus est, ac se latronum gregi ducem præbuit. Impetum in Fremonensem Societatis domum facere decreverat : collocatæ in vicini fluminis ripa erant insidiæ; at Dei nutu detectæ catholicos ad ædis sacræ defensionem excitarunt. Dissipata subinde arma scelerati prædonis et consilia; captus ipse ac vinculis oneratus; reliqui perduelles fusi et fugati. Aliud exstitit nec leve periculum a præpotente magistratu qui Romanæ

Fidei cultores opprimebat calumniis litium, et possessionibus domiciliisque pellebat. Accusatus apud Imperatorem, et ab amicis mutata fortuna derelictus, confugit ad Patres in quos omni crudelitate sævierat, illosque unos amicos et patronos invenit, non sine hominum admiratione, ita ut Prorex regni Tigræi, quæ portio Æthiopiæ præcipua, idemque Principis frater in eas erumperet voces: Quæ tandem isthæc natio Sacerdotum est! Si tales se præbeant inimicis, quid amicis facient? Idem assiduos Patrum conatus ad pietatem ubique muniendam cernens: credideram hactenus, inquiebat, Saracenos multo esse acriores in falsa religione amplificanda, quam Christianos in propaganda vera; nunc rem aliter se habere intelligo, et lætor inveniri qui divinam legem tanto studio et ornare et diffundere laborent. Socii operam fere dividebant inter populum erudiendum, et pueros educandos, quorum schola iisdem ferme legibus regebatur, quibus adolescentium contubernia in Europa temperantur. Quippe hoc antiquum adhuc obtinent Abyssini, ut liberos suos Sacerdotibus instituendos vulgo tradant.

In Chilensi regno

Ad eumdem modum P. Didacus Torres, Paraguaiæ Provincialis, Seminarium nobilium adolescentum erexit in civitate regni Chileni primaria, postulante regio senatu, et urbis magistratu. Instituendi Seminarii causa fuit, quod juventus in ædibus parentum laute atque indulgenter nutrita,

otio deliciisque marcescebat, quæ sunt blandæ vitiorum omnium et exitiales nutriculæ. Hæc ipsa causa fuit cur Societas revocata sit in oppidum S. Jacobi, Tucumaniæ caput, quod coacta fuerat deserere, obortis propter invidiam servitii personalis dissentionibus. Juventutis protervitas, mores Indorum ad pristina relapsi flagitia, rerum sacrarum contemptus, Episcopum impulerunt, ut Socios omni ope revocandos curaret. Eo facilius Episcopi votis obsecundatum est, quod hoc anno Socii undeviginti ex Europa in portum Boni Aëris feliciter appulerunt. Eorum pars, duce P. Francisco a Valle, in urbem Sanctæ Fidei, decem dierum iter a portu Boni Aëris distantem deducta, novam Societatis domum fundavit. Est illa civitas imposita fluvio Quiloasæ, ubi se in flumen Argenteum evolvit. Pars Sociorum altera in cives, nautas, vectores, Peruanos Chilenosque convenas, qui Portum Boni Aëris frequentant, laborem partita est : neque mancipia neglexit, quæ singulis annis magno numero ex Africa illuc deportantur. Vix credi potest quantum in istis mancipiis erudiendis lucri fuit. Patres Josephus Cataldinus et Simon Maceta Guairaniam Paraguaiæ similiter provinciam perlustrarunt, iter emensi difficillimum per invia nemora, paludes uliginosas, sexcenta hominum, anguium, ferarumque pericula. Ut multitudinem inconditam docerent oppidum condidere, ubi Pirapum fluvium accipit

Societas in S. Jacobi urbem revocata;

vocata in Sanctæ fidei.

Oppidum Lauretum in Guairania.

Paranapanæus, ac Lauretum appellarunt in honorem B. Virginis. Convenerunt amplius ducentæ, quæ locum accolebant, barbarorum casæ. Aliis eodem subinde confluentibus varia nata sunt oppidula, quibus Christi regnum insigniter amplificatum fuit.

Excivit ea fama Paranenses, gentem vicinam, numero, viribus, crudelitate, bellis adversus Hispanos secundo Marte gestis inclytam. Nomen habent a fluvio Parana, cujus insident ripas. Ferdinandi Ariæ, prætoris Hispani, aliorumque ducum fregerant copias. Sancti Joannis oppidum pene deleverant; itinera latrociniis et cædibus habebant infesta. Vicinorum exemplis impulsi pacem et obsequium obtulerunt, ac magistros divinæ legis postularunt. Episcopus negabat Sacerdotes suos perfidæ gentis crudelitati committi tuto posse: domandos ferro perduelles, non legatione demulcendos. Instabant Hispani ac rogabant ne occasioni tantæ deesset, agi Religionis et Regis causam; posse pacem, tot quæsitam frustra bellis, tanto sanguine nondum emptam comparari nullo negotio. Stabat immotus Præsul, neminem e suis iturum affirmans, cum P. Didacus Torres P. Marcellum Lorenzanam, Rectorem collegii Assumptionis, linguæ Paranensis peritum obtulit. Cives egere gratias, et proficiscentem Lorenzanam faustis ominibus ac precibus longe sunt prosecuti. Non vanos Episcopi fuisse metus ille sensit, multa per-

Exculti Paranenses et Guaicuræi.

pessus a populo, quem duces ægre in officio continebant. Duo tandem ex illis baptismum petierunt. Instantes anno toto distulit, constantiæ periclitandæ causa, ac sedulo probatos compotes voti fecit. Aditu sic in domum Dei patefacto, plurimi concordibus animis in eam sunt introducti, conditumque oppidum Christi cultoribus refertum quod Ignatianum Lorenzana nominavit.

Oppidum Ignatianum.

Non erant humaniores Paranensibus Guaicuræi, et gravissimas Hispanis clades intulerant, idque impune, tuti scilicet nemorum latebris, fluminibus altis et frequentibus, montium angustis faucibus, quas vigil custodia servabat. Ubi primum Patres Gonsalvium et Griffium conspexere, conclamant ad arma; jamque in ambos barbara phalanx infestis telis ruebat. Dux gentis vim prohibuit. Sacerdotes impavidi denuntiant qui sint, unde, et quorsum veniunt. Movit ducem oratio plena humanitatis et constantiæ, præcepit suis ut liceret Patribus impune verba de religione facere, quæ cum libenter audiret ipse ac probaret, filium Christianis sacris initiandum tradidit. Baptizatus est puer insigni pompa, et ab Hispano Prætore de sacro fonte susceptus.

Insulis Chileni maris provisum.

Fuerant ante aliquot annos lustratæ archipelagi Chilensis insulæ complures, quæ instar Cycladum aut Sporandum, visuntur in ingenti sinu, tamquam in Ægæo mari sparsæ. Omnium maxima, Chiloe dicta, quinquaginta leucas in

longitudinem patet, non plus septenis lata, et brachii arcuati figuram exhibet. Indigenarum familiæ in ea censebantur olim ad millia quindecim; postea servitutis metu in montium anfractus et vallium latibula profugi, fame ac frigore magnam partem interierant; ceteros in hac aliisque insulis circumjectis, Melchior Vannega, et Joannes Baptista Ferrufinus ab insitis vitiis non ita pridem repurgaverant, utque esset omnium cultura facilior, delegerant pueros qui per otium in Chileno Societatis collegio exculti, populares deinde suos reviserent ac juvarent. Inter hæc barbari (quæ vis est pravæ consuetudinis) ad pristina relapsi vitia narrabantur. Ergo ad illos iidem Patres hoc anno redierunt, et obsoletos mores in antiquum restituerunt decus, in sterilibus ac desertis ut plurimum insulis toto biennio commorati; sæpe in fluctus facto naufragio deturbati, sæpe in sylvis pernoctare, nonnunquam vulsis radicibus et alga longam solari famem coacti. Sed tanti est animæ vel unius salus! Hac spe stimulatus in Perua P. Raphael Ferrerius, dum in regionem interiorem exspatiatur, nusquam deinde comparuit. Ferunt illum ab Indis dolo evocatum, et in profluentem cum Sociis abjectum. Quæcumque tandem illius mortis conditio genusque fuerit; cognitum est postea certis auctoribus non aliam ejus fuisse causam, quam quod invisam ingratamque barbaris doctrinam prædicaret.

Ablatus P. Ferrerius a barbaris.

Initium Canadicæ Missionis.

Nec alia initio causa fuit Hiroquæis et Huronibus, in nova Francia, cur Patres ignibus lentis torruerint, securibus impactis capiti diffiderint, crudis dentibus voraverint, quam quod ipsorum vitia crudelitatem et intemperantiam objurgarent. Quo pacto campum hunc ingentem Societati divina bonitas aperuerit, paulo distinctius videtur explicandum. Americam Septentrionalem, cui nova Francia tribuitur, tres præcipuæ nationes obtinent, Hispani, Galli et Angli. Mexicum, Floridæ pars et Californiæ, sunt Hispanæ ditionis; littora orienti soli opposita et ad austrum vergentia occuparunt variis temporibus Angli, Hollandi et Sueci. Septentrionalem plagam supra Mexicum et Floridam Galli tenent, ac Novam Franciam sive Canadam vulgo vocant. In hanc inferre Christiana sacra meditans Henricus IV Rex Galliæ, anno MDCVIII, Societatis homines ad hanc Evangelicam expeditionem postulavit a P. Petro Cotono, regiæ conscientiæ moderatore. Delecti fuere P. Petrus Biardus Gratianopolitanus, theologiæ professor in collegio Lugdunensi, et P. Enemundus Massæus Lugdunensis, qui solita laboriosæ Missionis jacerent fundamenta. Profecti e Gallia non sunt ante septimum Cal. Februarias hujus anni, propter varias difficultates quas improvisa mors Regis et hæreticorum malevolentia objecerat. Ostia fluvii amplissimi, cui a S. Laurentio factum nomen, ingressi undecimo Cal. Junias, ipso sacræ Pente-

costes die, vestigia Christianæ religionis invenerunt leviter a Gallis impressa, qui duce Samuele quodam Camplenio sub initium seculi superioris regionem interiorem subierant. Prima Patribus cura fuit vernaculam linguam perdiscere, tum Gallos excolere, qui e veteri Francia in novam navigaverant. Instituta est solemnis supplicatio in qua Christus augustissimi sacramenti velo tectus, et quanto fieri potuit maximo apparatu circumvectus in terræ felicis, tot Sanctis postea frequentandæ, veluti possessionem auspicato venit. Proxima infantibus sacra lavandis fonte cura est data, quorum nonnulli post susceptum salutis sacramentum, ad terram viventium possidendam, quasi gentis totius nomine, demigrarunt. Egressi deinde quasi pomerio præcones Evangelici, magnam regionis partem lustraverunt. Divina res ubicumque licuit est facta; impositæ manus ægrotis, conciliati munusculis parentes barbarorum ac liberi; impensus labor Gallis domicilia sibi fabricantibus, itemque vectoribus, et classiariis. Non defuit patientiæ copiosa seges, modo ab annonæ charitate, modo a feritate gentis, alias ab insidiis vicinorum. Quibus in ærumnis occurrebant interdum Patribus voces illorum, quos Moses ad explorandam Chananitidem miserat. * *Terra hæc devorat habitatores suos; ibi vidimus monstra quædam filiorum Enac, quibus comparati, quasi locustæ videbamur.* At simul veniebat in

*Num.13.33.

mentem oratio Josue et Calebi, plena divinæ fiduciæ : *Terra valde bona est; si propitius fuerit Dominus, inducet nos in eam, Dominus nobiscum est.* Et esse cum servis suis Dominum exitus comprobavit. Quippe in hanc terram prius *desertam et inviam, et inaquosam* tanta se divini roris effudit copia ut, præter Quebecense collegium, numeraverit sedes plurimas, et amplius triginta florentissimas cultissimasque Missiones nostræ Societatis, quas legere licet Historiæ parte quinta. * Neque tamen statim eo perventum est. Ægre per sexdecim annos tanquam in salebris hæsit difficilis labor, neque ante annum sæculi superioris quintum et vigesimum ex illis angustiis emersit.

* *Lib. XV. n.° 34.*

Annus Christi 1612 : Societatis 73.

Missio in Bosniam et vicina regna,

Romam hoc anno venit Simon Joannes Taxicchus, Sacerdos Bosniensis, dudum in catholicis Bosniæ adjuvandis pie utiliterque versatus : sed cum par labori tanto non esset unus, et gentis miserrimæ vulnera propius intueretur, quæ ab hæreticis, Turcis et schismaticis velut obsessa, laborabat vitiis, erroribusque gravissimis; ad Pastorem Ecclesiæ, petiturus opem, accesserat. Pontifex, auditis quæ de catholicorum in Illyrico, Bosnia, Servia, Sclavonia, et Bulgaria periculo et destitutione narrabantur, Taxicchum ad Præpositum Generalem Societatis misit. Qui præclaram

tuendæ ornandæque religionis occasionem libenter amplexus, dedit operam ut idem Taxicchus necessariis instructus præsidiis rediret in patriam, cum P. Stephano Szinio Transsylvano, locorum sermonisque gnaro, qui tunc Romæ degebat; et P. Bartholomæo Cassio Dalmata, qui Ragusii morabatur : alii duo ex Austria Stiriaque illis adjuncti fuere.

Nemo facile consequi verbis potest, quot pericula exhauserint, quot in locis jacentem aut inclinatam pietatem erexerint, quot errorum tenebras dispulerint. In primis curæ fuit, ut initiarentur Sacris Ordinibus Sacerdotes. Nulli enim aut pauci admodum, fuerant ab annis triginta consecrati. Præterea catholicæ scholæ passim institutæ sunt, ac pleræque in iis ipsis oppidis, ubi rerum potiebantur Turcæ, a quibus amplum diploma in gratiam Christianorum impetratum est. Multum negotii fuit cum Lutheranis, Calvinistis, Arianis, et schismaticis; nec nihil cum quibusdam catholicis, qui privatis utilitatibus ducti, dum *sua, non quæ Jesu Christi, quærunt* * magnas operi divino moras, ac perniciem animabus attulere. Per eosdem stetit, ne Missio Ragusina, quæ per totum late Illyricum explicanda erat, jamque in ipsa civitate Ragusio, pulcherrimos edere cœperat fructus, votis proborum responderet.

* *ad Philipp.*

Sociorum agmen e collegio Camenecensi profectum in Valachiam et Ukraniam, eo laboravit

in Valachiam, et Ukraniam.

utilius, quod Principes regionis utriusque obsecundantes habuit. Idem Hommonæ contigit, quod oppidum est Superioris Hungariæ ad montem Carpatem, cujus continua longo tractu juga Poloniam ab Hungaria dirimunt. Id oppidum erat in ditione comitis Georgii Dugheti, qui Societatem ad evellendum doctrinæ deterioris lolium evocavit. Septingenti ab hæreticorum partibus ad catholicas transierunt, nec pauci a Ruthenico schismate abducti. Juventus Calvinianis magistris subducta, et ad veram cum litteris pietatem informata. Provisum ut morte plectendis denuntiaretur sententia capitalis pridie, aut etiam biduo ante quam fatalis et ultima dies illuxisset. Experientia quippe compertum fuerat, plerisque mentem eripi metu supplicii præsentis, nullam ut suscipere cogitationem salutarem possent : at, spatio interposito, conquiescere et sedari parumper diros emotæ mentis artus, et locum necessariis tunc præsidiis relinquere.

Essendia et aliæ urbes Germaniæ lustrantur.

Essendiensis monasterii Antistita in Principibus Imperii numeratur. Ejus cœnobium et oppidum deformaverat hæresis Lutherana, quam ejicere laborans, Patres in operis egregii Societatem adscivit. Turbatum est graviter ab hæreticis, de Societate pellenda conspirantibus. Auctoritas antistitæ prudentis tumultuantium odia compressit, viamque stravit Patribus ad catholicos ritus in urbem Essendiam, et religiosam disciplinam

valde collapsam in monasterium revocandam. Data pariter opera, ut pagis in ditione cœnobii positis præficerentur Pastores boni, pulsis mercenariis.

Alsolinduam acciti Gracio aliqui e nostris, populi mores quotidiano cum hæreticis usu vehementer inquinatos, emendarunt. Pagi quadraginta docendo cohortandoque peragrati. Ad faciendam Evangelicæ doctrinæ fidem plurimum valuit mulier a dæmonis possessione in libertatem vindicata. Cujus rei fama cum in Turcarum urbes pervasisset, militaris Tribunus (Agas Turcæ vocant), qui tum Camisiensi oppido præsidebat, Societatis Sacerdotes per litteras accivit : illum haud obscure malus dæmon vexabat, et miris quibusdam ignotisque morbis cruciabat. Exorcismis rite adhibitis hominem morbis omnique cruciatu liberarunt. Egit ingentes gratias : rogatus, ut sermonem inferri de Christiana fide pateretur; negavit. Sic identidem miseris mortalibus veritatis lumen ostendit, *qui vult omnes salvos fieri*, * ut nihil obstet, quominus salvi fiant, si deponere cacitatem ac pertinaciam velint.

* 1. *Tim.* 2.

Excursio in minorem Tartariam,

Hoc benignæ Providentiæ ingenium eluxit etiam mirabiliter in eo quod subjiciam, exemplo. P. Franciscus Zgoda jamdudum adire Tartaros, sive Scythas meditabatur. Omnes tentanti vias nulla succedebat. Contigit, ut magnus Tartarorum Chamus (sic imperatorem suum appellant) legatum per eos dies ad Poloniæ regem mitteret,

virum catholicum, domo Gennensem, natum in urbe Caffa, in Taurica Chersoneso, seu minore Tartaria. Ille sacrorum causa veniebat domum nostram frequens, et de gentis suæ moribus cum P. Zgoda sæpe disserebat. Eodem in patriam reverso, P. Zgoda dum navat operam militibus in bello tunc exorto, ab hostibus raptus et abductus est longe in Tartariam. Ibi ab isto legato, quem in Polonia viderat, agnitus, redemptus, oblatusque est Tartaris. Quem illi velut missum divinitus legis divinæ doctorem libentissime acceperunt.

in insulas Pantalariam,

Non minore lætitia fuerunt accepti Patres in Pantalaria insula. Hæc non abest longe a Lilybæo Siciliæ promontorio, Cossyram veteres dixerunt : olim parebat regibus Tunetanis, postea in Hispanorum ditione mansit. Utuntur incolæ Africana, seu Arabica lingua; hinc eorum cultura difficilior. Caros tamen Superis esse docet tutela præsens Beatissimæ Virginis, cujus imaginem servant in ædicula prope arcem sita. Hanc ante octingentos annos pictam fuisse docent elementa Græca imagini subjecta. Hoc insula veluti Palladium et munimentum adversus omnia pericula et calamitates habet. Missi a Præposito Generali Societatis, et amplissimis ab Episcopo Messanensi, cui procuratio hujus insulæ est attributa, facultatibus instructi Patres, cum primum docere populum cœperunt, tanta morum commutatio derepente facta est, ut ipsi se indigenæ mirarentur. Expli-

cata pro concione peccati gravitas, vehementer illos perculit, præsertim cum eam in multis haud ita magnam, in cogitationibus vero vel teterrimis, levem aut nullam inesse arbitrarentur. Itaque confessiones ab ultima plerumque pueritia repetitæ sunt, eoque libentius, quod vernaculam Patres callebant linguam, Italis ignotam vulgo Sacerdotibus, aut Hispanis, siquando illuc appellerent. Instaurata, quæ jacebat, Rosarii sodalitas; puerili scholæ præpositus Sacerdos idoneus; inspectæ, ut Episcopus jusserat, ædes sacræ : recognita demum quæcumque ad divinum spectabant cultum, ut si quam labem intulisset diuturnitas temporis, aut hominum incuria, sarciretur.

Chium, et Naxum etc.

Quantum Pantalariam Chius et magnitudine, et nobilitate superat, tanto uberiores fructus dedit, maxime cum olim a Sociis exculta, et identidem fuisset lustrata. Eam recentes operarii hoc anno sunt ingressi, quos Benedictus Harcæus, insulæ Episcopus, Franciscanus, excepit peramanter, et rebus gerendis adjutores adhibuit. Præter scholas ab adolescentibus Latini ritus et Græci frequentatas, et instituta domi nostræ quina sodalitia; captivis Christianis, ad remum Turcicum damnatis, datus est labor, nec solum expiati sacramentis, sed plurimi quoque sunt in libertatem vindicati. Turcæ primores ultro sua nobis detulere studia, et quotiescumque occasio se dedit, facta promissis addiderunt. Legati ex insula Naxo

publice missi adfuere, orantes eadem animarum subsidia; quæ vicinis suis impertita cernebant. In hac et circumjectis insulis Patres utiliter adoptarunt verbi divini administros Sacerdotes Græcos, rite prius institutos, qui cum a suis popularibus libenter audirentur, non parum profecerunt ad eos Romanæ adjungendos Ecclesiæ, et a Græcanico Schismate revocandos.

Aliquot Collegiorum sors.

Non erat Patribus eadem docendi facultas in plerisque Germaniæ urbibus, quia voluntas audiendi non eadem civibus erat. Quinquennium totum Torunenses Scholæ siluerant, hæreticorum factionibus disturbatæ, vix auctoritate regia perfectum est, ut restituerentur. Gedanensis senatus templi nostri fores pridem clauserat; Regis pariter edicto reseratæ fuerant. Rege ad bellum profecto Societas decreto Senatus muniis suis publice usurpandis prohibita est. *Dandum iræ locum* * sapienter putavit, et quam civibus non poterat impendere, ad externos finitimorum oppidorum incolas curam vertit. Hæc damna pensavit novum domicilium Ravæ collocatum, in majore Polonia, et Palatinatu cognomine. Lomzam oppidum Lithuaniæ excolere ab annis quatuor cœperamus; domicilium nobis principes civitatis obtulerunt et vectigalia ponendo collegio necessaria, quod biennio post feliciter est conditum. Crembsivii plurimum degebat Cardinalis Dietrichstainus, Olomucensis Episcopus, et e nostris nonnullos in suis ædibus

* *Rom.* 12.

alebat. Illis propriam domum attribuit, ubi ad Missiones, aliasque id genus expeditiones parata Sociorum aliquot familia coaluit. Rex Poloniæ Smolenskum Moschis anno Superiori eripuerat, ac præsidio imposito muniverat. Militibus erudiendis Patres præfecit, qui utilem civibus reliquis navarunt operam expurganda Moschoviti schismatis peste, quæ jam centesimum prope annum civitatem inficiebat.

Provincia Belgica in duas divisa.

Belgii unica pridem Provincia, in duas est divisa Flandrobelgicam et Gallobelgicam. Partitionem hanc suasit urbium et collegiorum in feracissimo tractu multitudo; deinde morum, sermonis, et consuetudinum disparitas quædam. Qui enim e Belgis ad Galliam magis accedunt, illi Gallorum facilius induunt mores, quorum etiam in ditionem plerique transierunt; contra vero qui Germaniæ limites attingunt, ad finitimorum quoque linguam et morem se libentius accommodant. Floruit semper utraque Provincia lectissimæ juventutis numero, eruditione et pietate. Libet dare specimen ex uno Duacensi collegio, unde fieri de ceteris, pro urbium proportione, conjectura possit. Logicæ schola quadringentos numerabat auditores; ex illis triginta septem Societati se addixerunt hoc anno, Franciscanis sexdecim; alii Carthusianos, alii alios ordines religiosos sunt amplexi. Par in Gallia scholarem celebritas ac splendor erat. Rothomagense collegium discipulos mille non-

Gallicæ domus.

gentos erudiebat, Rhedonense duo millia : e scholis Avenionensibus quinque et quadraginta juvenes in cœnobiis Deo se dicaverunt. Tironibus nostris amplam et amœnam Lutetiæ domum fundavit Magdalena *Luilier* domina *de Sainte Beuve*. Collegium cives Carolopolitani posuerunt in urbe sua, quæ a conditore Carolo Gonzaga, Duce Nivernensi, nomen habet, in Campania Galliæ.

In Sinis ejecta domus Xaoceana.

At parum abfuit, quin domum Xaoceanam in Sina penitus amitteremus. Ex hac urbe Socii Macaum sæpe ob negotia domestica commeabant. Id ægerrime ferebant Mandarini, et Socios quasi Lusitanorum exploratores ultro citroque cursare cum cernerent, suspicabantur ab utrisque aliquid contra Imperii salutem agitari. Accidit, ut Patrum tabellarius incideret in manus militum oræ maritimæ custodum, cum epistolarum fasciculo. Peregrinæ litteræ moverunt suspicionem : dum quæritur interpres illis explicandis, tabellarius in carcerem conjicitur. Illum juvabat omni ope frater Dominicus Mendezius; et identidem pia, quibus infortunium levius esset, solamina suggerebat. Suam vero sortem deplorare miser, et in Patres invehi non cessabat, quorum causa in tantam calamitatem esset delapsus; demum impatientia permolesti carceris victus jurgari cum Mendezio, cœpit probra objicere, affligere humi, pugnos in caput pectusque ingerere, hunc sibi tot malorum auctorem fuisse vociferans.

F. Mendezius crudeliter vapulat.

Ad clamorem accurrit carceris custos. Utrique plagæ crudeles infliguntur. Mendezio quoque injiciuntur vincula, in quibus longum totis octo mensibus martyrium pertulit, dum livida et putrescentia e plagis acceptis ulcera male curantur. Accessit ad cumulum infelicitatis præfectus custodiæ, homo ferox et Mahometanus, qui postquam cognovit Christianum esse ac Societatis religiosum, in eum unum omnes carceris acerbitates effudit, facta potestate facinorosis, qui eadem tenebantur custodia, in eum contumeliis, probris, verbis ac verberibus sæviendi. Lectæ fuerant interim litteræ, examinatæ diu et excussæ. Nihil in iis deprehensum præter domestica quædam et religiosa negotia. Nihilominus jussi sunt Patres Xaocea cedere, quamvis nullum ipsis objiceretur crimen; quamvis eorum spectata virtus illic per annos tres et viginti proborum omnium ornaretur testimonio. Id unum, interpositis amicis, impetratum fuit, ut Mendezius vinculis emissus, in longinquam provinciam, Macao procul deportaretur, ut irrogata gravis tabellario pœna in biennii servitutem mutaretur. Discedentes urbe Patres prosecutæ sunt insanæ Bonziorum voces, in malam rem abire jubentium. Brevi tamen fuerunt Xaoceam revocati. P. Longobardus, cum a Gubernatore civitatis obtinere nihil potuisset, Proregem appellaverat, cujus summa in omnem provinciam potestas. Hujus

æquitatem ubique notam ac severitatem reformidans Gubernator, simulque populi convicio territus, qui annonæ caritatem, vastitatem agrorum, pestilentiam, aliasque velut ortas ex composito publicas calamitates, ejectis indicta causa et a culpa remotis Patribus assignabat, coactus fuit iniquissimam exilii legem abrogare : hoc dumtaxat petiit, ut ne redirent prius in urbem Patres, quam ipse magistratu abiisset.

Hæc sexta Societatis in Imperio Sinensi persecutio, et propter brevitatem et propter exitum non infelicem, utcumque tolerabilis exstitit; non item tertia Japonica, cujus immanitas et sequentes annos complures funestavit. Hactenus Daifusama de Christianis tota Japonia exterminandis deliberaverat, amorem inter metumque fluctuans; amorem commercii per Europæos mercatores importati, quo ditescebat; metum imperii amittendi, si Christi cultores ac præsertim Patres Societatis valescere pateretur, quibus id esse propositum sibi falso persuaserat, ut Japoniam Christo primum, deinde suis regibus subjicerent. Metus amorem extudit : perdere illos constituit a quibus timebat, ne periret. Distulit aliquandiu illorum perniciem, donec potentiam suam confirmaret. Explorabat interim procerum ac regulorum voluntates, et per eos clam sæviebat. Nunc per sese, nunc apertis et professis odiis exilia, ferrum et flammas adhibuit. Ut sæva maturaret consilia

Tertia in Japonia religionis vexatio.

occasionem navarchus Batavorum obtulit. Venerat in Japoniam legatus proregis Novæ Hispaniæ, ut commercii Japones inter et Mexicanos jungendi conditiones proponeret. Post explicatas legationis suæ causas petierat facultatem explorandi altitudinem maris, quo tutius e Mexico in Japoniam navigari posset. Id vero dum luce palam ac sæpius facit, dum omnia Japoniæ littora pererrat cum nautico perpendiculo, suspicioni locum ac sermonibus dedit, quos ad aures Daifusamæ pertulit fama. Audiebat ille non invitus Batavicæ navis rectorem de geographia disserentem. Quærit ex eo, quid sibi velint Hispani cum isto perpendiculo : an ita mercatores Europæi consueverint. Respondet navarchus non tam id mercatorum esse, quam militum; neque commercii causa fieri solere in Europa, sed belli. Addidit Hispanos gentem esse ambitiosam, et ubique dominandi avidam; Patres Societatis, illorum satellites, ab iis regna perturbari simulatione pietatis, avocari populos a Principum obsequio et ad subeundum Hispanæ dominationis jugum perduci. Hanc ob causam ab Ordinibus fœderatis Batavorum, ab Anglis, a plerisque Germaniæ principibus expulsos fuisse : religionem porro, quam docebant non esse veram Christi legem, quæ solo Dei verbo nititur; sed variis commentis adulteratam.

His attonitus Imperator nullum præterea locum dissimulationi et clementiæ relictum esse

judicavit : et ad extirpandum in Japonia cum Societate nomen Christianum totus deinceps incubuit. Ac primo quidem quatuordecim proceres quorum auctoritate et potentia religio maxime stabat, turpissimo et acerbissimo damnavit exilio : matronas Christianas ejecit aula, et in desertas insulas amandavit. Pulsis urbe regia præcipuis divinæ legis defensoribus et luminibus, ad regulos dynastasque aut pervertendos aut evertendos animum et curam adjecit. Erat ingens Evangelii columen Protasius Arimæ rex : ad hunc perdendum ipsius filium Michaelem, Christianum, sed paterno inhiantem regno, adhibuit, eumque Patris loco regnare jussit. Ille non satis firmam novi regni possessionem sibi fore putans, vivo patre, tetra in eum scelera congessit, et ad Imperatorem detulit, qui statim Protasium jussit mori. Feralem sententiam excepit Rex eo vultu et animo, quo Christianum heroem decebat. Nihil de filiolo, nihil de imperatore questus, recitari sibi Christi patientis jussit historiam, et ante collocatam in tapete humi Salvatoris crucifixi effigiem procidens præcidendum centurioni caput præbuit.

Protasius Arimæ Rex perit, opera filii.

Paternum regnum scelerato filio Daifusama concesserat ea lege, ut Christo inexpiabile bellum inferret. Datam Imperatori fidem præstitit improbus, utque prius exemplo noceret, quam facto, nuncium palam religioni et Christo remisit : mox evertit cruces, templa incendit, quorum

septem et septuaginta (tot enim in Arimensi regno stabant) excisa sunt : omnia denique monumenta pietatis abolevit. Ad extremum Christi cultoribus exilia, necem, supplicia per præconem pronuntiavit. Ad hanc denuntiationem neophyti, quasi dato pugnæ signo, domum Societatis ad arma Sacramentorum sumenda concurrere certatim : e Patribus alii a prima luce ad vesperam confitentibus operam dare; alii concursare civitatem et Christi pugiles instanti prælio præparare. Quod ut certius faciliusque fieret, instituta fuit ab illis martyrum sodalitas, secunda martyrum posthac nutrix. Rescivit hæc Arimæ rex impius, et missis lictoribus Patres ejecit urbe Idibus Junii, utque tutius regnaret sæviretque, fratres suos interfecit. Quæ fuerint edita Christianæ et heroicæ patientiæ, fortitudinis et constantiæ miracula non solum a viris imis pariter ac summis, sed etiam a pueris et feminis; nec paucis exprimi verbis potest, ob rerum amplitudinem et dignitatem, nec pluribus eadem explicare licet propter institutam operis brevitatem. Cognosci singula poterunt * Historiæ Parte V, non sine admiratione ac laude divinæ virtutis, quæ tales cultoribus suis animos inspiravit.

Sodalitas Martyrum.

* *Libro XX.*

Lætiora nobis offerunt spectacula Philippinæ, Guinea et Æthiopia, quæ conceptum de Japonica crudelitate mœrorem parumper abstergent. In Philippinis nationem Itarum plerique Sacerdotes Societatis tentaverant in oppida et pagos deducere,

Conversi Philippinarum populi.

ut moribus imbui Christianis posset: illam innata barbaries et amor libertatis in montibus et sylvis adhuc retinuerat. Ipsa vero demum hoc anno sua sponte destinavit oratores ad P. Montorum, qui gentis nomine significarent, deliberatum cunctis ac fixum esse, sanctam amplecti legem, et pagos ubi erudirentur, poscerent. Montorus legatos ad Hispanum gubernatorem deduxit, qui laudato gentis consilio, locum, ubi doceretur, assignavit. Dapitani Sacerdotem, quo hactenus caruerant, diuturnis expetitum votis, acceperunt. Butuani Christo recens adjuncti, oppidum ædificarunt, in medioque templum et Sacerdotis domicilium collocarunt, ut circumpositis ædificiis tamquam munimentis utrumque defenderetur.

Imperatoris Abyssini frater a Schismate revocatur.

Abyssinorum Imperator domitis aut repressis duodecim tyrannis, pacem religioni utcumque redonavit, et proceres Æthiopiæ ad obsequium Romanæ Sedis revocare meditans initium operis egregii duxit a suo fratre, quem vehementer est hortatus, ut Patres audiret, et quid docerent per otium expenderet. Paruit Selacristos, (id Principi nomen) audivit Patres, et catholicam doctrinam diligenter excussit : cum ea libros Abyssinorum et opiniones comparavit, in iisque manifestos errores perspexit. Mox se obtulit P. Francisco Ant. Angelio plenius erudiendum, et paulo post fidem catholicam est professus. Secuti sunt præeuntem plurimi belli pacisque artibus clari.

P. Balthazar Barreira dum varias Guineæ maritimæ plagas lustrat, tempestate delatus est in portum, quem Europæi maxime frequentant, et prælaltam crucem in portus aditu defixit. Ad eam consistens, Christi doctrinam non modo indigenis, sed etiam Saracenis, imo hæreticis illuc, e tota Europa confluere solitis explicabat. Inde progressus ad insulam S. Jacobi, Socios quatuor e Lusitania recentes offendit, quos e vestigio immisit in paratam messem; ipse in insula substitit, et consuetos labores onere novo cumulavit tradendæ civium liberis Latinæ Linguæ, quod vehementer ad religionis decus tutelamque pertinere judicabat. Erant in illo summa omnia, quæ in Evangelii ministro desiderari possunt. Tanti virtutem ejus ac prudentiam faciebat Lusitaniæ rex, ut suos in his terris præfectos vetuerit, quidquam majoris momenti decernere, nisi prius consulto Barreira. Non illum ætas ingravescens, non incommoda valetudo, non difficultas ulla retardabat, ubi salus animarum agebatur. Felici plurium annorum labore perfunctus, ad ejus præmium evocatus est quarto Nonas Februarii.

P. Barreiræ labores varii et obitus.

Ad idem præmium, sed via duriore, pervenerunt P. Martinus de Aranda, P. Horatius Vecchius, et Didacus Montalbanus in regno Chileno. Inter dynastas regionis præcipuos censebatur Aganamon. Tres ejus pellices profugerant ad Hispanorum arcem, ibique baptismum a Patribus

Occisi ab Indis Patres tres :

cum fide Christiana susceperant. Id ubi rescivit barbarus, continuo mulieres reddi sibi jussit. Patres responderunt Christianas esse, invitas reddi non posse, nec fas illis, quæ Christianæ essent, pristinis moribus vivere. Excanduit Aganamon, ac diebus aliquot interpositis in Patres ad expeditionem Evangelicam longius ab Hispanorum arce progressos cum ducentis equitibus impetum facit, ac pellices repetit. Idem, quod antea respondent. Ille ira et amore æstuans, dato suis signo, mactari castimoniæ et religionis defensores impavidos jubet. Contusa et comminuta fuere capita macanis; clavarum est genus, e duris confectum stipitibus, ac ferreis cuspidibus præfixum. Humi stratos lanceis confoderunt. Cadavera ludibriis impiorum erepta, et ad urbem Conceptionis deportata, in Societatis templo condita sunt.

P. Aranda,

P. Martinus Aranda nobili loco natus erat Villariccæ in urbe antiqua Chileni regni, et propinquus P. Ludovici Valdiviæ, cujus nomen in eo regno celebre, unde illi etiam Valdiviæ cognomen interdum additur. Pueritiâ exactâ, bellum secutus, turmam equitum ductavit, et eximiam fortitudinis ac prudentiæ laudem adeptus, ad summos honores militiæ provehendus erat, cum Deus a caducarum rerum amore abductum ad meliorem militiam vocavit in Societate Jesu, anno MDXCII. In ea gravibus ærumnis, et gloriosis periculis perfunctus, demum aliquot menses in Araucanis

Indis erudiendis collocavit; donec præclara mors ejus virtutibus cumulum et coronam imposuit.

P. Horatius Vecchius, Italus, Alexandrum VII Pontificem Maximum cognatione attingebat. In Societatem adscriptus Romæ anno MDXCVII. In Americam trajecit anno MDCIII. Annum agebat quintum dumtaxat et trigesimum, cum ad illustrem vitæ præcipuis ornatæ virtutibus metam feliciter pervenit. P. Vecchius,

Didaco Montalbano Hispanum genus, patria Mexicum fuit. Araucum delatus, ut stipendia faceret inter Hispanos, nostrorum illic degentium exemplis permotus, illorum obsequio se devovit; mox ipsorum Institutum amplexus, et post idoneas periclitationes inter tirones admissus, sexto post die ad triumphum veteranis emeritisque Christi militibus deferri solitum vocatus est. et P. Didacus Montalbanus.

Annus Christi 1613 : Societatis 74.

Divinæ Providentiæ ad suorum in Anglia salutem excubanti merito assignandum est quod Societatis homines, qui fere septuaginta in duabus insulis Britannicis degebant, effugere potuerint oculos et manus tot exploratorum et satellitum, qui passim in agris, in urbibus, in portubus, ubique in speculis erant collocati : At minus profecto mirum non est quod ab iis capti Patres Joannes Blacfannus, Joannes Perceyus, Thomas Laythwaytus, Jacobus Muffettus, salvi demum In Anglia,

et incolumes evaserint. Quo tandem pacto, quibus artibus, parta illis salus libertasque fuerit operæ pretium est cognoscere. Conjectus fuerat in Portam Westmonasteriensem (id carceris nomen) P. Blacfannus: statim de illo necando deliberatum. Quæsitum crimen, quo supplicium jure irrogatum videretur. Nam quod Sacerdos, quod religiosus, quod Jesuita foret, quamvis capitalia illorum judicio essent scelera, minus tamen erant invidiosa, jamque gloriosa censebantur. Ergo falsos adornant testes, qui denuntient auditum ab aurifice quodam Antverpiæ Blacfannum pollicentem octo nummorum millia sicario, si Regem e medio tolleret. Appellabatur nomen aurificis, locus, tempus, adjuncta cetera diserte notabantur. Dum ex his testibus accusatio et sententia in reum ferenda componitur, Blacfannus horribili calumnia perculsus scribit subito ad amicum Belgam, qui Antverpiam properans aurificem coram magistratu interrogat, ejusque testimonium publico civitatis ac judicum sigillo munitum ad Blacfannum mittit. Revicta evidenti argumento calumnia erubuit. Veriti ne in vulgus mendacium tam putide confictum emanaret, nescio quid causæ commenti sunt, ac Blacfannum exilio donaverunt.

Calumnia P. Blacfanno impacta,

et fortiter confutata.

Habebat P. Blacfannus socium carceris P. Joannem Perceyum, vulgo Fischerum, quo facilius lateret, appellatum, qui cum studiis lit-

terarum operam dedisset in Romano Anglorum collegio, ibi ad Societatem accesserat. Tornacum hinc ad ponendum tirocinium profectus, rerum cœlestium parum cauta meditatione, cerebrum inexpertus tiro sic debilitavit, ut medici nullam reparandæ valetudinis viam ostenderent, nisi natale solum. Igitur Angliam repetere coactus incidit in manus lictorum, qui Sacerdotem Romanum suspicati, varios inter cruciatus ad exprimendam ab eo veritatem adhibitos, valido fune frontem ac tempora colligarunt. Mirum! capitis diuturnus dolor, qui nullis potuerat remediis curari, subito depulsus liberum caput ac sanum præstitit. Perceyus tanto per illos tortores affectus beneficio, quantum ab amicis capere nullum poterat. Londinum abductus conjicitur in carcerem. Multa diu perpessus, nocte intempesta per custodiæ fastigium cum duobus Sacerdotibus elapsus, evolavit ad P. Garnetum, apud quem vota Societatis nuncupavit, quæ ne prius emitteret, prohibuerat insidens capiti dolor, et attrita valetudo. Statim certamen adversus hæresim auspicatus, illi matrem, sorores, et propinquos eripuit. Incumbentem operi rursum lictores interceperunt. Ejus vincula fregit Catholici Regis orator. Multatus exilio Belgium revisit. Sed impatiens otii, et animarum sitiens, remigravit in Angliam. Tertio comprehensus, in ergastulum ad ripam Tamesis rapitur. Illic tantum rei bene

P. Perceyus crebris vinculis maceratus,

gerendæ facultatem est nactus ut, quamvis evadendi potestas esset, ultro nihilominus per triennium in vinculis restiterit, ibique centum quinquaginta populares suos Ecclesiæ redonaverit, præter innumerabilem catholicorum turbam solitis præsidiis confirmatam. In quo se ita gerebat, nemini ut valde suspectus, omnibusque carus esset. In lucem ex istis ergastuli tenebris productus est per eam occasionem : Venerat Londinum doctor, in Calvini schola facile princeps. Dum quærit hostem quicum conferret manus avidus pugnæ et victoriæ, audit Jesuitam teneri vinctum ad ripam Tamesis. Placuit adversarius : accenduntur hæreticorum pariterque catholicorum studia. Res defertur ad Regem. Ille vero novo modo se arbitrum certaminis libens offert, verum etiam socium : ac profecto pugnæ pars prima et maxima fuit. Descendunt in arenam hinc P. Perceyus pulchro multorum ergastulorum pulvere sordidus, inde Calvinista politulus, et ad unguem factus : adstat selecta nobilitas, pugnæ testis, deque exitu summopere sollicita.

cum doctore hæretico, de religione disputat,

Aderat in amplissimo consessu Comitissa Buckingamia. Hæc trepidantem Calvinistam, labantem, ac fœde interdum corruentem aspiciens, quamvis eum Rex, acriter dimicans, sustineret, male fultam Calvini doctrinam detestata, transiit ad catholicorum partes, magna omnium admiratione. Fusus, fugatusque Calvini signifer, dimi-

cationis aleam iterum tentavit, successu nihilo meliore. At Rex doctore suo se multo doctiorem existimans, per horas ipsas quatuor cum Perceyo degladiatus est. At male multatus cum de receptu cogitare cœpisset, veniam petiit Perceyus si ardore disputandi provectus esset longius, quam Magestatis reverentia sinebat. Imo, inquit Rex, placuisti, et rem bene ac fortiter gessisti; edixitque : ut eximeretur vinculis, ut ne quis ullam ipsi molestiam facesseret, ut plena demum et integra pace frueretur. Hoc Regis edicto fretus cum per urbem liberius, quam Sacerdoti catholico tutum erat, inambularet, comprehenditur, et arctiore quam prius clauditur custodia, geminantur seræ, aditus ad illum omnes obstruuntur. Questus cum Rege Christianissimi Regis orator eduxit illum custodia, utque concessa securitate frueretur impetravit. Id ægerrime tulerunt qui Dei famulum videbant quemdam devicta iniquitate triumphum circumferre. Injiciunt ipsi manus. Profert ille Regis edictum, et ejus beneficio securum se clamat. Affirmant veniam præteritorum ipsi datam, non eorum quæ quotidie contra leges regni peccaret. Finem altercantibus imposuit antistes Cantuariensis denuntiavitque Regem velle et jubere ut exularet, fideinque daret se nunquam reversurum. Negavit Perceyus sui se juris esse; hanc fidem dare omnino recusavit : imo rediturum se dixit, si juberent ii quorum in

et ipso cum Rege fructu insigni :

comprehensus iterum,

et liberatur.

potestate esset. Irritati hac oratione retrahunt illum in carcerem, ubi ejus, ut inquiebant, pertinaciam per octo menses expugnare variis ærumnis conati sunt : iisque consumptus fuisset nisi Regina invicti Sacerdotis vitam et libertatem a Senatu exorasset. Hoc ultimo beneficio donatus cavit ne se in periculum deinceps facile conjiceret, diuque ad multorum utilitatem superfuit.

Incidit in hoc ipsum tempus P. Thomæ Laythwayti non unus carcer, multiplexque discrimen : sed quia illius de religione concertatio famosa cum antistite Cantuariensi in sequentem annum incurrit, narrationem totam eo usque differemus. P. Jacobus Muffettus dum rem catholicam in Scotia feliciter gerit, captus est et Edimburgum perductus. Illi statim constituta mors fuit, ac duobus e populo viris probis, quod sacrificanti adfuissent. Jam pendebat carnifex in ictum, cum subito clamor tollitur, et vita gloriosis Christi testibus concessa, deprecante Christianissimi Regis oratore pronuntiatur. Mœsti omnes discesserunt; isti quod necare vetarentur, illi quod juberentur vivere.

De P. Jacobo Muffetto.

Doluerunt Angli tot homines Societatis, tam præter spem sibi ereptos. Ulti sunt dolorem suum Sociis omnibus e Canada exterminandis. Fuit Anglorum in hoc negotio insignis quædam perfidia quam, ipsorum honoris causa, libenter, si liceret, silentio præterirem. Cœperat Societas in Canada,

E Canada Societas ab Anglis ejecta.

seu Nova Francia, sedem ponere, gentemque barbaram et a tot seculis incultam Christianis præceptis instruere. Venerant auxilio Patribus Evangelicum opus ibi facientibus P. Quintinus et Frater Gilbertus Thetus, cum Angli præter hanc Americæ plagam vela facientes, prætoriam Gallorum navim pene vacuam nacti, classiariis in littus digressis post leve certamen expugnarunt. In eo conflictu Gilbertus Thetus confossus lhetali plaga postridie occubuit. Ceteri Patres qui ad hostem propulsandum cum tumultuaria Gallorum manu ad littus confluxerant, venerunt in potestatem Argalli Prætoris Angli. Ille, dum expugnati navigii prædam ac supellectilem scrutatur et excutit, subduxit arte veteratoria e scrinio Galli Prætoris diploma Regis Christianissimi, quo missus ab eo in Canadam summa cum potestate dicebatur. Mox ipsum Prætorem ore truci compellans, quærit quo jure Canadam sit ingressus, qua fretus auctoritate moliatur domos. Respondet ille in promptu et in scrinio suo esse Regis sui diploma, quo tota colonia niteretur. Offertur illi scrinium rite obseratum, diploma nullum apparuit. Argallus prædonem et fugitivum conclamans, necem commeruisse pronuntiat, simulque navim militibus suis diripiendam tradit. Patres obsecrant ut victis benigne consulat : datum fuisse diploma, rite obsignatum, nihil nisi de Regis Christianissimi sententia et auctoritate gestum testantur. Anglus

probe sibi conscius vera narrari, jactatis aliquot minis, beneficii loco concessit ut Galliam Prætor cum Patribus et Gallis aliquot primo aditu captis repeteret : deinde arces in ora Canadensi extructas incendit, domicilia Patrum evertit, naves in portu deprehensas invadit.

Domicilia nova, data et restituta.

Sic Novam Franciam Societas, summa religionis bene jam constitutæ damno, deseruit, nec in eam nisi anno demum MDCXXV est reversa. At in urbes varias Galliæ, Belgii, Hispaniæ, et Germaniæ feliciter est inducta, vel restituta. Hedinum, oppidum Artesiæ munitissimum; item Ariam, sive Æriam in eodem agro Atrebatensi, vocata est : Almonecidam et urbem Sancti Clementis subiit in Castella Nova : Eystadium in Bavaria. Jam sedem habebat Homonæ, hæc aucta et amplificata est. Pulsa fuerat Aquisgrano, restituta est armis et auctoritate Marchionis Spinolæ, cujus in castris Socii sex arma religiosæ militiæ non negligentes tractaverunt. Iidem, recepta per eundem Spinolam Vesalia, docere populum, et importata per belli et hæreseos licentiam damna sarcire studuerunt. Non minore studio ac successu laboratum est ab aliis in Ruthenis partim a Græco schismate, partim a dogmate Calviniano revocandis. Congressus fuerat anno superiore non semel cum Socinianis P. Radsiminskius Levartoviæ non procul Lubdino. Redintegrata est pugna in ipsius Lubdini luce, concursu omnium Ordinum

maximo. Prodiit Staterius, doctor Ebionita, qui statim convictus, et omnium calculo male notatus, obmutuit. Libellum probris in Societatem jactari solitis refertum ediderunt adversarii, confessionem imbecillitatis, solatium ignominiæ.

Victoriæ de hæresi reportatæ

Aliis armis hæreticorum pertinaciam frangere instituerat dynastes catholicus Turniæ, seu Villaci quod oppidum est superioris Carinthiæ, asylum tunc erroris et arx seditiosorum. Ferro domare aggressus est, quos ratione ac pietate expugnare nequiverat. Jam bis victis decretorium certamen instabat, cum Societatis homines post varia Styriæ et Carinthiæ oppida lustrata, eo se contulerunt. Mitigatis paulatim animis, et ad concordiam pacemque leniter adductis, facta est incredibilis rerum conversio. Conciones auditoribus, catecheses pueris, tribunalia sacræ pœnitentiæ confitentibus abundarunt. Illudebat hominibus in hac urbe speciosus error. Novitatis doctrinam plerique amabant, non quia veriorem; sed quia subtiliorem et ingeniosiorem arbitrabantur. Detracta est opinioni stultæ larva; demonstratum minimam esse in tutanda novitate doctrinæ laudem eruditionis et ingenii; quo fuco sublato multi ad solidam et bene fundatam vetustatem se retulerunt. Magnum attulit pondus ad fulciendas veritatis partes erroris doctor, qui hunc triginta ipsos annos professus, eumdem palam ejuravit, et sanctioris hebdomadæ feria

quinta audiente populo innumerabili perpetuum anathema hæresi pronuntiavit. Aliis in urbibus Germaniæ veritatem quam doctis ratio et facile ostendit, indoctis metus ignominiæ, aut pœnæ persuasit. Hæretici communem cum catholicis sepulturam, nimia magistratuum indulgentia obtinuerant Paderbornæ. Societas evicit, ut hoc honore privarentur, exportatis in agros eorum cadaveribus. Quam infamiam plerique formidantes, vivere catholicorum ritu optaverunt, ut catholicorum sepultura fruerentur. A Sociis Constantientibus curandum fuit ut Lutherani ludimagistri qui pueros legere ac scribere vernacula litterarum docebant elementa, scholarum alumnos ipsimet ad nostras deducerent catecheses. Id olim tentatum sæpius, perfectum denique est magno discipulorum et magistrorum fructu. Decretum pariter fuit ne pupillis hæreticorum jus civitatis, quod habebant velut hereditarium, ante tribueretur quam religionis catholicæ præcipua capita legitime profiterentur. Ratiboriæ, (oppidum est Silesiæ superioris) cum hæresim in urbem inducere Lutheranus præco, potentium civium patrocinio fultus, tentaret, illius consilia disjecit Senatus, decreto Sociis auctoribus edito, ut cives in curiam tributim vocati, ad avitam Fidem tuendam sacramento adigerentur. Instaurata quoque lex, ut nemo hæresi aut schismate inquinatus, in civium numero censeretur.

Missio Constantinopoli.

Non tam libere, nec tam aperte rem Socii gerebant Constantinopoli, vix tamen abibat ullus mensis sine aliqua insigni conversione, aut Christianorum ad negatam olim fidem catholicam, aut Græcorum ad Ecclesiæ Romanæ unitatem, imo etiam Mahometanorum ab impietate ad religionem; præter quotidianam operam indigenis, advenis, Calogeris, Armaniis, et remigibus datam. Pauca quædam litteris fuere consignata, idque consulto, quia loqui, nedum agere, vix tutum nostris erat. Ex eorum numero quatuor e medio sustulit pestilentia, familiare apud Græcos et incuratum vulgo malum. Alii morbo prostrati jacebant. In qua strage domestica summam experti sumus Patrum Dominicanorum et Franciscanorum benevolentiam, quibus debere nos profitemur quod Constantinopolitana domus, non funditus, ut olim eversa fuerit. Recreatus e morbo P. Canillacus, in Galliam profectus est ut quædam negotia missionis componeret. Jussus a Rege Christianissimo sacra Palæstinæ loca, ipsius et regni totius nomine visere, peregrinationem illuc instituit, qua perfunctus Constantinopolim anno MDCXIV in hyemem vergente se retulit.

De Indicis ceremoniis controversia ingravescit.

Diuturna compertum est experientia illas altercationes, quæ de doctrina inter peritos, aut de religione inter probos oriuntur esse multo ceteris acriores et vivaciores. Alia quippe bella corporibus inferuntur; hæc animis, quorum et

motus celeriores et constantiores impetus. Quo minus mirari licet controversiam de ceremoniis et ritibus Indicis, ante sex annos inter P. Robertum Nobilium et theologos ortam, toto agitatam seculo fuisse, necdum nostro plane compositam. Ab India Romam usque delata fuerat, cum Robertus Cardinalis Bellarminus P. Nobilii propinquus, ad eum scripsit plenam querelarum epistolam ab amore simul et dolore dictatam : iis quæ audierat magis, quam veritati consentaneam. Hanc Dei famulus ad Christi e Cruce pendentis pedes deposuit, obsecrans ut siquidem esset mentis suæ conscius, et obedientiæ quam in hoc toto negotio ducem secutus erat, deploratæ causæ patrocinium susciperet. Nec ipse sibi, ut monebat prudentiæ lex, defuit. Argumenta theologorum singillatim refutanda sumpsit, questus initio modeste de Patribus Goanis, a quibus indicta causa damnatus esset, cum res ageretur longe gravissima, ipsum que scirent, neque in theologicis rudem, neque in moribus Indorum ac disciplinis peregrinum. Hoc præmisso defensionis aditu, totam in certa capita dividebat, quæ si quis cognoscere distinctius cupit, explicata breviter Historiæ Parte v reperiet. * Hoc uno maxime argumento bonitas causæ quam defendebat Nobilius nitebatur, quod omnia sua consilia cum P. Provinciæ præposito communicasset, itemque cum Archiepiscopo Cranganorensi P. Francisco Rozo, qui unus omnium

* *Libro* 18.

maxime audiendus videbatur tum propter auctoritatem, tum propter eximiam eruditionem, et singularem Indicarum consuetudinum notitiam. Hæc omnia ubi cognovit Bellarminus, mutavit mentem, et injectam divinitus Patri Nobilio mentem ad novam hanc Apostolicæ vitæ formam capessendam agnovit, ut ex ejusdem litteris, quæ exstant, intelligitur.

Pax inter Lusitanos et Mogolcs composita.

Citius composita est controversia inter Mogolum Imperatorem et Lusitanos. Indiæ Prorex obortis suspicionibus, bellum Mogolibus palam indixerat. Funestus belli rumor mercatores utriusque gentis exterruerat. Actum de redintegranda pace et concordia. Hæc cura data est P. Piniero, et amplissima potestas agendi cum Imperatore, ejusque administris. Difficillimum negotium, in quo religionis incolumitas agebatur, ita sapientibus consiliis gubernavit, ut satisfaceret utrisque. Pax promulgata cujus publicum instrumentum, et Imperatoris litteras Goam P. Pinierus pertulit.

In Sinis diversa religionis sors.

Minus prospere cecidit labor Patrum Nanchione, quæ civitas in Imperio Sinico fines provinciæ Quantuniæ attingit. Opiniones superstitiosæ, interque ceteras Pythagorea illa metempsychosis tam altas in populo radices egerant, vix ut evelli potuerint. Mori satius putabant, quam pulicem interficere ne fortasse patrem in eo interimerent. Nankami fruges Evangelii uberiores exstiterunt. Tanta voluptate ac securitate perfun-

gerendæ facultatem est nactus ut, quamvis evadendi potestas esset, ultro nihilominus per triennium in vinculis restiterit, ibique centum quinquaginta populares suos Ecclesiæ redonaverit, præter innumerabilem catholicorum turbam solitis præsidiis confirmatam. In quo se ita gerebat, nemini ut valde suspectus, omnibusque carus esset. In lucem ex istis ergastuli tenebris productus est per eam occasionem : Venerat Londinum doctor, in Calvini schola facile princeps. Dum quærit hostem quicum conferret manus avidus pugnæ et victoriæ, audit Jesuitam teneri vinctum ad ripam Tamesis. Placuit adversarius : accenduntur hæreticorum pariterque catholicorum studia. Res defertur ad Regem. Ille vero novo modo se arbitrum certaminis libens offert, verum etiam socium : ac profecto pugnæ pars prima et maxima fuit. Descendunt in arenam hinc P. Perceyus pulchro multorum ergastulorum pulvere sordidus, inde Calvinista politulus, et ad unguem factus : adstat selecta nobilitas, pugnæ testis, deque exitu summopere sollicita.

cum doctore hæretico, de religione disputat,

Aderat in amplissimo consessu Comitissa Buckingamia. Hæc trepidantem Calvinistam, labantem, ac fœde interdum corruentem aspiciens, quamvis eum Rex, acriter dimicans, sustineret, male fultam Calvini doctrinam detestata, transiit ad catholicorum partes, magna omnium admiratione. Fusus, fugatusque Calvini signifer, dimi-

cationis aleam iterum tentavit, successu nihilo meliore. At Rex doctore suo se multo doctiorem existimans, per horas ipsas quatuor cum Perceyo degladiatus est. At male multatus cum de receptu cogitare cœpisset, veniam petiit Perceyus si ardore disputandi provectus esset longius, quam Magestatis reverentia sinebat. Imo, inquit Rex, placuisti, et rem bene ac fortiter gessisti; edixitque : ut eximeretur vinculis, ut ne quis ullam ipsi molestiam facesseret, ut plena demum et integra pace frueretur. Hoc Regis edicto fretus cum per urbem liberius, quam Sacerdoti catholico tutum erat, inambularet, comprehenditur, et arctiore quam prius clauditur custodia, geminantur seræ, aditus ad illum omnes obstruuntur. Questus cum Rege Christianissimi Regis orator eduxit illum custodia, utque concessa securitate frueretur impetravit. Id ægerrime tulerunt qui Dei famulum videbant quemdam devicta iniquitate triumphum circumferre. Injiciunt ipsi manus. Profert ille Regis edictum, et ejus beneficio securum se clamat. Affirmant veniam præteritorum ipsi datam, non eorum quæ quotidie contra leges regni peccaret. Finem altercantibus imposuit antistes Cantuariensis denuntiavitque Regem velle et jubere ut exularet, fidemque daret se nunquam reversurum. Negavit Perceyus sui se juris esse; hanc fidem dare omnino recusavit : imo rediturum se dixit, si juberent ii quorum in

et ipso cum Rege fructu insigni :

comprehensus iterum,

et liberatur.

ratoris patrueles, abbas Merca, ejusdem magister; Teclaselassus, eidem a secretis et epistolis; Cebachristos, regiæ domus moderator.

Triumphus Catholicæ in Japonia Fidei

Nihil contra, non triste, asperum, crudele, apud Japones. Rex Arimæ Christi cultores dolens e suis cladibus fortiores, et ex ipsa prope morte redivivos quotidie surgere, putavit igne consumendos, qui ferro exscindi non poterant. Ergo dynastas aliquot virtute, opibus, dignitate præstantes, una cum eorum uxoribus et liberis lento cremari jubet incendio. Vulgata sententiæ in eos dictæ fama regnum metu, Patres cura, Christianos gaudio implevit. Advolarunt nostri Sacerdotes ut animos adderent pugnantibus. Arimam e vicinis urbibus et pagis confluxerunt Christianorum millia fere viginti, sine gladio et sica, præter Japonum morem. Pro armis et apparatu bellico rosaria, et alia religionis insignia. Hæc modestissima species Regi metum ademit, quem tantus numerus incusserat; et eum Patres monendum curaverunt, tot Christianis id unum esse propositum, ut vel mortem optatissimam obirent cum suis fratribus, vel eorum necem præsentia sua et gratulatione ornarent. Itaque passus est illos procedere, in certas divisos turmas, ad patentem extra mœnia urbis campum ferali tragœdiæ destinatum. Ardebant nostri generosos pugiles in arenam producere, et coram adesse certantibus. Ne facerent ab ipsis martyribus et Christianis universis rogati

sunt, interesse sua et religionis affirmantibus ut abessent procul. Postquam in planitiem certamini ac triumpho assignatam perventum est, heroes non expectatis a quibus ligarentur lictoribus, ad suum quisque palum cucurrerunt, arcte illum amplexantes ac suaviter deosculati : statimque ignis admotus est aridæ, quæ circumstabat, materiæ. Precibus Christianorum, lamentis etiam ethnicorum, campus omnis personuit. Martyres, quandiu vox et flamma sivit, inter se cohortabantur, aut laudes divinas concinebant. Stabat in felici agmine puer annorum undecim. Ambusto corpusculo, cum ejus funes ignis solvisset, ad matrem per media processit incendia, et eam flammis circumspectam blande complexus est. Cui mater : Fili, inquit, cœlum intuere, Jesum et Mariam invoca. Cum puer sanctissima nomina tertio repeteret, animulam in sinu matris deposuit; moxque super filiolum corruens generosa mater occubuit. Præcipuam admirationem et ab hominibus Superisque plausum tulit Magdalenæ Virginis illustre ad posteritatis memoriam facinus: consuevere Japones, quæ magni æstimant, ea imponere capiti; ruptis igitur igne vinculis puella demisit se, candentesque prunas utraque colligens manu, capiti venerabunda, tamquam geniale sertum, imposuit; deinde placidissime succumbens, cum se prius ipsa coronasset, victorem Deo spiritum reddidit.

Annus Christi 1614 : Societatis 75.

Non semel mortalium cæcitatem annis superioribus deploravimus qui *bonorum temporalium copiam sectantes vel inopiam metuentes* * *amittunt æterna*, ut ait Augustinus, *quæ nec dari possunt ab hominibus nec auferri:* Qui efferantur et sæviunt, si quid Principum suorum dignitati videtur adversari; silent ac negligunt, si quid de religionis incolumitate detrahatur. Quasi vero dubitandum sit, regnum, libertatem, vitam ipsam projicere, ut Fides retineatur. Hæc illa prudentia serpentis est, quam Christus commendat; quam explicans Chrysostomus. * *Quemadmodum*, inquit, *serpens nec minimum curat, si ipsum quoque corpus incidi necesse sit dummodo caput suum integrum servet; eodem tu quoque modo, præter Fidem cetera perdere non cures. Fides enim caput est et radix, qua servata, etiamsi omnia perdas, omnia tamen rursus majore cum gloria recuperabis.* Hanc prudentiam Anglis persuadere conati sunt P. Franciscus Suares scribendo; P. Thomas Laythwaytus, disputando; et P. Joannes Ogilbæus, moriendo.

* *Lib. 1. de ser. Dnic. 6.*

* *Homil. 34. in Matth.*

P. Francisci Suaris liber exustus.

P. Franciscus Suares anno superiore librum a se compositum inscripserat: *Defensio Fidei catholicæ et Apostolicæ, adversus errores sectæ Anglicanæ*, etc. Partes operis erant sex. Docebatur in prima, quam longe recedat Anglica

hæresis a vera Fide. Ostendebatur in secunda suffragari dogmatibus catholicæ religionis consensum vetustatis, et Sanctorum Patrum. In tertia demonstrabatur suprema Pontificis in spirituali regimine auctoritas, cui subjecti et obsequentes esse debeant Principes Christiani. In quarta Clericorum ab alio tribunali et foro, quam ab Ecclesiastico immunitas declarabatur. De Antichristo disputabat quinta, et quam immerito ignominiosum id nomen Pontifici Romano tribuatur probabat. Sexta demum expendebat Anglicani juramenti formulam, et quid speciosa frons doli tegeret, planum faciebat. Lucet in opere toto singularis candor, et nervorum plena modestia, sine felle, sine aculeo. Sentias auctorem agere cum amicis, quos sanatos; non cum hostibus, quos vulneratos velit.

Nihilominus eo libro vulneratum se graviter existimans Angliæ Rex, hunc in Londinensi platea flammis absumi jussit. Neque id satis : scripsit ad Philippum Regem Hispaniæ, ab eoque postulavit ne scriptorem nefarium vivere pateretur. Philippus, ut aliquid Regi, majestatem læsam conquerenti annueret, negotium dedit doctissimis præsulibus ac theologis ut examinarent accurate volumen totum, et quidquid in eo notassent censura dignum ad se singillatim referrent. Concors omnium sententia fuit integerrimam esse libri doctrinam, sacrarum litterarum oraculis, decretis

Conciliorum, et Patrum effatis nixam. Eamdem Principum rationibus nullo pacto adversari, cum per debitam Summo Pontifici obedientiam, nequaquam minuatur illorum auctoritas, sed corona salusque muniatur; et quidquid ad religionem tuendam pertinet, communi Principum ac populorum bono serviat. Delectatus hoc virorum sapientissimorum judicio Philippus, dignam catholici Regis pietate ad Jacobum epistolam misit. In ea Suaris doctrinam a criminibus objectis purgat; deinde vero ipsum Regem hortatur graviter ut eam teneat Fidem, quam suos majores a tot seculis tenuisse perspicit, quam ipse a sanctissima parentis optimæ disciplina hausit : Cavendum ne cæco libertatis studio abreptus se suosque in gravissimas calamitates et pericula conjiciat : non occludi sic aditum factionibus, sed aperiri, cum nemo fas sibi non putet esse Principibus frangere fidem qui fregerint eam Deo. Nimis verum augurem Philippum extitisse consequentia tempora docuerunt.

Quod parum feliciter in Hispania molitus erat Angliæ Rex, hoc magis e sententia tentavit in Gallia; ubi perfecit ut Suaris lucubratio palam in infami rogo cremaretur, quinto Cal. Quintiles. Satius profecto Gallis, et gloriosius fuisset catholici, quam apostatæ Regis exemplum imitari: sed multos adhuc habebat hæresis in regno Christianissimo patronos, complures adversarios Societas.

Utrique in regni comitiis quæ hoc anno habebantur ausi sunt proponere juramenti formulam non absimilem illi quam Angli erant fabricati. Clerus omnis, ducibus maxime Cardinalibus Surdisio et Perronio itemque ordo Nobilitatis, formulam periculi et fraudis plenam respuit; susceptoque palam religionis patrocinio, testimonium perhonorificum Societati nostræ dedit. Regina P. Joannem Suffrenum, eloquentiæ ac virtutis fama insignem concionatorem, et conscientiæ suæ arbitrum sumpsit, quod ille munus sex et viginti annorum spatio præclare gessit. Patrem vero Marguestandum Elisabethæ, filiæ suæ Philippo Hispaniæ Principi desponsæ, confessionibus audiendis adscivit : denique P. Cotonum, missionem ab aula enixe flagitantem, a Regis latere discedere vetuit.

Juramenti formula in Galliæ comitiis explosa.

A Gallia, quo nos parumper abduxit P. Francisci Suaris liber, redimus ad Angliam, et ad varios nostrorum illic hominum casus. Primus occurrit P. Thomas Laythwaytus, quem vulgo Scottum appellabant; cujus fatum hoc videtur fuisse ut centies captus, centies effugeret. E patria contulerat se Hispalim, philosophiæ perdiscendæ ac theologiæ causa. Inde in Angliam reversus incidit in Warwicum Helem, acerrimum hæreseos defensorem, et Irenarcham. Ab eo jussus Regem Angliæ caput Ecclesiæ Anglicanæ profiteri. Negavit. Jussus saltem in idem templum cum populo

In Anglia P. Th. Laythwayti pericula.

convenire; iterum negavit; seque catholicum professus est. Ergo in custodiam abreptus, et probris conviciisque oneratus in infimum ergastuli antrum contruditur, ubi a vermium turpi grege depastus, et olida memphiti sic immutatus est, vix ut agnosceretur. Os, manus, pedes fœde intumuerant, et animam ægre ducebat in aëre tam pestilenti, cum venit ad eum junior ipsius frater, adolescens hæresi perdite addictus, quem Scottus ita erudivit, ut hæresi abjecta, Societatemque amplexus, redierit in patriam, et fraterna exempla imitatus fuerit. Neque is dumtaxat, sed alii tres ejus fratres, in Ordinem nostrum similiter accepti. Sic vinctus Scottus vincebat, et errorum ac peccatorum vinculis absolvebat carceris et pœnæ socios, cum per fratres ipse quoque vinculis emissus in Belgium concessit, unde repetens Angliam, proditus est ab Atkinsono Sacerdote Fidei desertore, et in carcerem Portæ Novæ conjectus. Deprecante Sabaudiæ Ducis oratore libertatem ea lege recuperavit ut insula demigraret. Migraverat, cum rejectus in Angliæ littus casu, an tempestate? incidit in eumdem Atkinsonum, ejusque indicio ac proditione comprehensus Westmonasteriensi custodiæ includitur, in quam paulo ante ductus fuerat P. Alexander Fayrcliffus. Utrumque Cantuariensis Antistes domum vocavit, quasi testes futuros gravissimæ, quæ multis in ore tum erat, controversiæ, nimirum de Anglorum antistitum auctoritate

legitima et jurisdictione, quam catholici negabant ab Apostolis continua successione derivatam, siquidem Parkerus, primus ipsorum pseudopræsul Cantuariensis, non fuerat per catholicos præsules initiatus, id quod non levibus argumentis probari affirmabant. Ingressi Patres in hanc disputationem, cum præsulem, a quo vocati fuerant, acriter urgerent; quid multis opus, inquit ille, cum præsto sit insigne monumentum, ex quo rei veritas cognosci liquido potest? Simulque profert ingens volumen, in quo Parkerus legitime consecratus a quatuor Episcopis catholicis narrabatur; et locum a P. Fayrcliffo recitari clare jubet. Negarunt Patres controversiam hoc libro decidi posse, cujus fides et auctoritas merito veniret in dubium, de quo nullo per tot annos mentio fuisset facta, cum præsertim instarent illius ævi scriptores locupletissimi, Sanderus, Stapetlonus, Bristous, et alii complures, ac docerent, Episcopos omnes catholicos, qui temporibus Elisabethæ in Anglia versabantur, stabiles in fide Romana permansisse, neque ut Schismaticis Episcopis manus imponerent, adduci unquam potuisse. Itaque Cantuariensem rogaverunt, ut sibi liceret librum attentius perlegere, aut saltem locum, in quo de Parkeri consecratione agebatur. Promisit. Iterum rogatus distulit; ad extremum, negavit, et Patres ad sua redierunt vincula : quibus haud ita multo post P. Laythwaytus solutus est. Mansere vincti variis

Qualis sit Anglicanorum Episcoporum jurisdictio.

in custodiis P. Fayrcliffus, P. Balduinus, et P. Gervasius Polus. Parum abfuit quin iis quartus adderetur P. Michael Walpolus. Exilio ante quadriennium damnatus redierat in patriam, latebatque in ædibus Ludovicæ Caravajaliæ, Hispanæ matronæ; quæ missionem Anglicam opibus suis adjuvabat, et avitæ nobilitatis auctoritate tuebatur. Ibi Walpolum delitescere suspicati exploratores, domum irruperant. Adfuit monitus a Caravajalia Catholici Regis orator, qui P. Walpolum probe sibi notum intuens, obsoleta in veste, instar famuli stantem, eum ad se vocat, et ei dat mandata quædam Hispano sermone, quem uterque norat. Cum responsa tamquam hero servus ferret, creditus est Hispanus famulus ex oratoris comitatu, et cum eo impune dimissus, dum eundem lictores tota domo frustra investigabant.

P. Ogilbæus capitur,

P. Joannem Ogilbæum vis, dolus, amici, proditores in ultimum discrimen adduxerunt. Glasquum, urbem Scotiæ, petierat sub finem Octobris, ut amicos proceres, qui hæresim nuper abjecerant, adjuvaret. Illorum unus flagitii gravioris reus, ut impunitatem a judicibus impetraret, illam emere Sacerdotis innocentissimi vita decrevit. Adeo rara est inter amicos fides, ubi spes ingens aliqua vel metus objicitur! Itaque lictores comparat, qui prætereuntem in vico adorti pertrahunt ad Glasquensem pseudoarchiepiscopum. Præsul impius ira simul et gaudio

clatus, accedentis vultum porrecta manu ferit. Non aliud huic tam benignæ salutationi responsum dedit Christi famulus, quam sui magistri voces, cum alapa divinum os cæderetur. Hoc sublato quasi ad sæviendum impune signo famuli præsulis et populi circumfusa multitudo in Ogilbæum impetum faciunt. Alii colaphis caput tundere, alii pugnos in pectus ingerere, barbam alii capillosque vellere; vestes plerique detrahere, subucula vix relicta. Sic ornatus conjicitur in carcerem. Ex eo postridie ad antistitem productus est, quo magnus nobilium et populi numerus confluxerat. Ibi generosus athleta insidiosis quæstionibus undique lacessitus diuturnum certamen animo tam præsenti, tam forti constantique sustinuit, ut adversarios dolore pariter et admiratione perculerit. Jam horas plures consumpserant interrogando, et disputando, neque tamen quidquam promoverant, cum Ogilbæum acceptis pridie colaphis ac plagis debilitatum, et horis quatuor et viginti impastum, subita febris arripuit. Ea paulum sedata Edimburgum abducitur ibique rursum fatigatur interrogationibus partim insulsis, partim gravibus, de rebus interdum inter se pugnantibus, ut nempe *caperent eum in sermone*. Captantibus semper est elapsus. Ergo ut inviso et invicto Sacerdoti constantiam et mentem ipsam eriperent, octo diebus, totidemque noctibus vigilare sine ulla intermissione

interrogatur et cruciatur;

coegerunt. Stabant appositi satellites, et alii alios, integri fessos, excipiebant. Pungebant stilis ac veraculis totum corpus, ne qua parte somnus obreperet : sæpe vocibus inconditis implebant aures, sæpe brachia pedesque distorquebant, raptabant humi pronum; caput ac pectus tundebant more tympani. Ea vis hujus tormenti fuit, ut superveniens nocte nona medicus, et vitam fugientem ex intermortuo venæ micantis pulsu sentiens, ultra tres horas vivere hominem posse negaverit. Igitur, ne citius, quam vellent, periret paucas indulserunt ad quietem tandiu negatam horas, ac summo mane judicibus obtulerunt, fractum oppressumque, adeo ut animam singulis pene momentis acturus videretur. Hic placebat hominis status. Urgent, interrogant, minantur, palpant. Sed incredibili dolore suo vigilantem et eodem animi robore præditum senserunt. Cum vero ipsos, etiam vigilantes, somniare in religionis negotio, cum pugnantia loqui, et insanire demonstravit, molestum doctorem remisere Glasquum, ut pudorem suum saltem ejus absentia levarent.

Ejus fortunata mors.

Statim atque illuc venit, novis et exquisitis suppliciis eodem successu excruciatus est, semper victor, semper sui potens, et fracto in corpore fidem mentemque integram servans : donec, urgente antistite Glasquense, capitis condemnatus fuit. Tunc demum respirare visus ac vivere, pedes abluit, vultum pœdore sordibusque car-

ceris squalentem detersit; amicos ad suas, ut aiebat, nuptias invitavit. Noctis partem a satellitum tumultu vacuam nactus, precationi dedit. Prima luce die x Martii MDCXV, concurrit civitas omnis visura hominem, cujus constantiam, dolis doloribusque majorem, livor ipse laudabat; pietatem ipsa venerabatur impietas. Quocumque triumphales potius, quam feralis pompa ducebatur, exaudiebantur voces bene precantium, nec sine lacrymis commiserantium, palamque profitentium religionis catholicæ nomen unum illius crimen esse. Ogilbæus sancte superos omnes testatus nihil dictum a se factumve, quo majestas regia, vel patriæ charitas lædi posset, alacer evasit in patibulum, et secundum Christum, Beatam Virginem cœlitesque ceteros pie precatus, pergebat catholicos hortari ad fidei constantiam, cum tortor a magistratu increpitus, dicentem deturbavit e scalis. Ingens repente omnium gemitus et, qui panegyrici locum obtineret, clamor erupit detestantium aperte judicium iniquum, et orantium æquitatem Supremi Numinis, ut parricidii pœnam ab immerenti et innoxio populo in sceleris auctores converteret.

Hiberniæ variæ partes excoluntur.

Inter Hibernos, utpote ab aula remotiores, facilius et quietius catholica res gerebatur a viginti Societatis colonis per insulam sparsis, ad quos anno superiore Socii sex accesserant. Quantum operæ pretium factum sit in residentia Dublinensi

conjici potest e regiorum administrorum et tabellionum querelis, lamentantium frigere judicia, curiam inanem esse litium, nihil e foro lucrifieri: quia nimirum paucæ aut nullæ inter catholicos rixæ; aut, si qua oriebatur, amicorum arbitrio statim erat composita. Quin etiam, si qua forte uni cuipiam illorum irrogata fuerat a magistratu mulcta, propter officium aliquod pietatis, hanc inter sese alii partiebantur ex æquo, ut ad omnes, et pœnæ meritum et charitatis gloria pertineret. In hortis patentibus dicendum sæpe fuit, ut multitudini satisfieret. E residentia Mediensi unus e nostris processit septentrionem versus et remotissimas insulas, ibique rem divinam fecit, qua populus catholicus ab annis quinquaginta caruerat: alter Conaciæ oram Boream, locaque Ultoniæ adjacentia, peragravit. Concioni per quadragesimam intererant non pauciores mille octingentis; confessionum ab ultima pueritia repetitarum iniri numerus non potuit. Hactenus nemo e Societate Corcagiam subire ausus erat, primariam Comitatus cognominis civitatem, ubi nimirum provinciæ præses degebat, et ubi latendi aut docendi potestas difficillima. Tentavit aleam Sacerdos impavidus, contempto periculo. Ad illum in editiora domorum cœnacula per obscuram noctem catholici omnis ætatis ordinisque confluxerunt. Ab urbe procurrit in vicinos pagos, ubi mortales miseros tam cæca inscitiæ nox opprimebat, ut non pauci

annos septuaginta et plures nati, signum crucis ducere manu nescirent, ac prima elementa Dominicæ precationis appellare. Fuit, qui accedentem ad cœlestem mensam populum temere secutus, rogatusque num conscientiæ maculas Sacramento purgasset, negavit, se scire, quid hoc nominis et Sacramenti esset; annos tamen quadraginta jam expleverat.

In Germania Missio Quinquecclesiensis et aliæ

In plerisque urbibus Germaniæ non eadem inscitiæ labes, pertinaciæ major erat. Quinquecclesias anno MDCXII venerat Sociorum manipulus: at messem nondum maturam conspicatus rediit post biennium, nec pœnitendam segetem collegit. Est hæc civitas Pannoniæ sive Hungariæ inferioris, non procul a confluentibus Dravi et Danubii. Jam inde ab anno MDXLIII Turcarum oppressa jugo religionem et litteras amiserat. Primas ibi obtinebat impietas Mahometana, secundas Ariana, tertias Lutherana, quartas denique Calviniana. Inter istos etiam catholicis locus erat, qui religionis nomen, umbramque deformem retinebant. Sacerdos unus, e populi fæce illis præerat; alii decem rusticani homines et indocti, nullis initiati ordinibus sacris, nomen et munia Sacerdotum ac pene Antistitum invaserant. Nihil prius faciendum Patribus visum est, quam ut sacrilegum hunc dissiparent gregem. Moniti privatim, publice objurgati, alii respuerunt, alii profugerunt. Plus negotii cum Arianis fuit, quibus docere palam licebat;

nec minus operæ cum nominis Græci Schismaticis, qui publicas etiam cathedras habebant. Facta per Turcicum judicem cum iis disputandi potestate, Patres pro concione acriter in Arianum dogma sunt invecti. Nec minus feliciter fabricatas in suum exitium calumnias depulere. Mox Colociam progressi perfecerunt, ut Calviniani ereptum olim templum catholicis restituerent.

Insignes quidam viri hæreticis erepti.

Inter insignes viros, qui per id tempus in Germania et aliis locis hæresi nuntium remiserunt, non leve catholicis partibus ornamentum addidit Comes Joannes Nassavius, Mauritii Comitis propinquus. Iniquissimo animo tulere affines et amici nobilissimæ domus, quod solus e gente Nassavia Romanam Fidem sectaretur, et Jesuitas sacramentorum causa convenisset. Quibus ille respondit, restitutam per se avitam Nassaviorum gloriam, cujus obscuraverat splendorem Arausicanus princeps, iguotam suis majoribus novitatem amplexus, obtulitque parenti suo P. Leonardi Lessii commentarium, cujus titulus est *Consultatio, quæ Fides et religio sit capessenda.* * Ex eo libro probavit quam prudenter et jure ad avorum suorum fidem remigrasset. Iisdem rationibus, quæ fidei Catholicæ veritatem sapienti cuilibet omnino persuadent, convicta vidua Jacobi Marchionis Badensis, et a Spirensibus Sociis per otium instituta pristinos abjecit errores, virum in catholica communione paulo ante mortuum imitata.

* *Antverpiæ editum, an.* 1610.

Haud minori prudentia et fortitudine fidem catholicam est professus Wolfangus Wilhelmus, Ducis Neoburgensis filius. Ut parentis hæretici oculos et iram fugeret, profectus erat Cal. Januarii Dusseldorpium, quasi vicinum principem officii causa salutaturus. Ibi die festo SS. Trinitatis, publicam in lucem protulit quod hactenus consulto dissimulaverat, et fidei professionem in luce totius urbis edidit. Verba fecit de veræ Ecclesiæ signis P. Jacobus Rehincus. Nec multo post exiit eodem auctore liber inscriptus *Muri civitatis sanctæ*, in quo videlicet Romana fides et Ecclesia duodecim firmissimis quasi muris et propugnaculis munita describebatur. Rediit princeps domum, et mortuo pridie Idus Sextiles MDCXIV patre, qui filium a sententia deducere nunquam potuerat, edictum promulgavit, quo suis omnibus potestatem liberrimam Romana complectendi sacra et exercendi faciebat : postea facti sui causas edito scripto publice proposuit : demum Societati collegium Neoburgi anno sequenti dedit.

Neque omittendum puto, licet aliquanto prius contigerit, Jeremiæ Ferrieri, ad partes catholicas reditum. Hujus auctoritate, doctrina et existimatione factio Hugonottorum (id nominis tribuitur Calvinianis in Gallia), maxime nitebatur, et florebat. Eo impensius Patres hominem expugnare conabantur. Idque se confidebant assequi posse, si catholica monumenta, non obtrectandi et im-

pugnandi studio, sed cognoscendi veri cupiditate perlegeret. Fecit : utque erat ingenio liberali, et perspicaci aliis oculis, alia mente consideravit utriusque doctrinæ momenta, et inter se sine fraude ac præjudicio comparans, suum et suorum agnovit errorem. Nemausum ipsam, ubi tamquam divinus homo perdiu fuerat auditus, elegit, quo in theatro publice bene dedoceret, quod publice tot annos male docuerat. Verum cum insidias vitæ suæ strui a Calvinianis cognovisset, quorum furor ejus domum diripere, familiam lapidibus appetere, fratrem indignis mulctare modis cœperat, evasit Nemauso clam ad Belliquadrenses, apud quos tutum nactus perfugium, insignem elucubravit libellum, quo facti sui luculentem rationem reddebat.

Domicilia fundata, etc.

Dedit hoc anno Ferdinandus archidux Probationis domum Leobii : Paderbornensis antistes universitatem studiorum in Societatis collegio collocavit. Cardinalis Joyosæus Pontisaram Socios induxit, oppidum ad Isaræ, seu Oesiæ ripam, Lutetia non procul in agro pèramœno. Actum erat anno MDCXII de nova Professorum domo ponenda Neapoli in foro maximo. Primus lapis in fundamenta dejectus modo fuit. Hæc domus postea in collegium est conversa, cui Sancti Ignatii nomen impositum. Cadunt in hunc annum initia Missionis Babylonicæ, itemque alterius in Mingreliam : sed cum utraque majoris sit molis, ejusque pars po-

tior ad annum MDCXV pertineat, eo referre narrationem integram juvat, ut eodem, nec interrupto filo texatur. Ultimos præsentis anni actus occupabunt Philippinæ, Æthiopia, et Paraguaia; scenam claudet infelix Japonia.

Progressus pietatis in Philippinis.

Cybabaus, Philippinarum una, uberrimos Evangelii fructus dedit. In quatuor oppidis totidem templa condita sunt ab incolis, quorum duo millia in Christi ovile per sacramenti primoris ostium introducta. Tinabogenses in iisdem Philippinis, cum ethnici nuper essent, non aliis vulgo Sacerdotibus, quam mulieribus, utebantur. Tanta porro istarum feminarum ac vetularum apud omnes erat veneratio, ut summa penes illos publicæ rei potestas esset. Eædem posteaquam Evangelio crediderunt, studium illud suum vetus proferendæ falsæ religionis, traduxerunt ad veram amplificandam; nihilque prudentius, nihil fructuosius nostri posse fieri putaverunt, quam si easdem probe instructas darent magistras suis pagis et oppidis. Quippe cum magna essent apud omnes in gratia, et artem dicendi minime barbaram longa exercitatione comparassent, afferebant ad mysteria explicanda summam facultatem, et ad eadem aliis tradenda summam auctoritatem.

In Æthiopia disputatio celebris.

In Æthiopia Schismatici Sacerdotes, eorumque antistes, qua dignitate præditus, Abuna nuncupatur, magnam Evangelio moram attulerunt. Catholici, ut improborum loquacitatem et auda-

ciam retardarent, doctissimos ex eorum grege provocarunt ad publicam disputationem, et Imperatorem rogarunt, ut adesset prælii moderator ac veritatis vindex. Dies erudito et religioso certamini assignatur. Hinc PP. Petrus Paëzius et Ludovicus Azebedius : inde Abuna cum suo theologo. Imperator, pauca de rei gravitate præfatus, libros proferri jubet. Producti sunt, et recitati ex Evangelio sanctorumque Patrum voluminibus varii loci, quibus duplex in Christo natura demonstratur. Nam de hoc præcipue capite Abyssini certant. His auditis attoniti convictique veritatis hostes inducias paucorum dierum, ut responderent petierunt. Iis elapsis cum nihil idoneum opponerent, Imperator disputationis exitum publicis litteris exposuit, et catholicum de duplici distinctaque in Christo natura caput promulgari jussit. Instauratum est iterum ac tertio certamen. Abuna veritate victus, omnino rem ita se habere affirmavit, ut a catholicis tradebatur. Nec diu tamen stetit in sententia mercenarius pastor; a Schismaticis impulsus, sacramentorum usu et piorum congressu illis interdixit, qui Lusitanorum, ut aiebat, sectarentur fidem, aut eorum templa frequentarent. Levitatem perfidi antistitis indigne tulit Imperator, et in perduellionis postea scelere deprehensum, loco movit. Patres, cum in Sacrorum librorum auctoritate multum esse ponderis animadverterent ad illustrandam fidei veritatem, instituerunt eruditos

catholicorum doctorum et interpretum codices in Æthiopicum sermonem convertere.

Quales in Paraguaria Operarii.

P. Didacus Torres exeunte anno provinciam Paraguaiæ diu et sapientissime gubernatam, tradidit P. Petro Oniato. Paucos at strenuos operarios operi Evangelico faciendo adhibebat, ac Præpositum Generalem Societatis identidem admonebat, ut non obvios quosque, sed bene lectos submitteret : neque istius Apostolicæ militiæ cupidos, desideriorum flosculis, sed anteactæ vitæ fructibus æstimaret. Ea cautione phalangem militum et ducum Evangelicorum instruxit fortissimam, cujus felix labor Americam implevit, fama vero Europam ipsam pervasit. Hæc ad aures Summi Pontificis cum accidisset, Paulus V, Societati gratulatus, ad Episcopum Chilensem scripsit, ut ipsam fovere ac tueri pergeret, sibique ferret expensum, quidquid in eam favoris ac beneficii conferret.

Expulsi Meaco Socii; et subversa templa.

Non sine dolore Japoniam revisimus Christiano sanguine redundantem. Edixerat Imperator, ut Sacerdotes omnes et Ecclesiæ Christianæ ministri pellerentur in exilium, et ædes sacræ funditus exscinderentur. Patres in exilium Meaco discessuri convocarunt Christianos in ædem sacram sexto decimo Calendas Martias, ut sacrificio quod postremum ibi foret, interessent. Eo peracto, spoliarunt suis ornamentis altaria, et monumenta religionis omnia sustulerunt, ne paterent injuriæ.

Exortus ingens piæ multitudinis ejulatus et lugubris lamentatio. Socii lacrymis perfusi ædem illam intuebantur jamjam æquandam solo; destituendum, lupisque permittendum gregem pulcherrimum, in quo tot inter labores et pericula colendo annos sexaginta consumpserant. Perlatis Nangazachium Patribus, unde procul erant asportandi, venit Meacum novus urbis gubernator Sangamindonus, artis bellicæ gloria et Christianorum odio insignis.

Ut urbem subiit, instructus amplissima perdendi mactandique potestate præfecturam auspicatus est evertendo templo Meacensi, et domo Societatis. Inde voce præconis in foro pronunciat deserendam esse legem peregrinam, aut lentis ignibus deflagrandum : proinde qui Christi retinere fidem constituerent, ii palum pro foribus defigerent, ad quem alligati comburerentur. Attonitus vidit postridie innumeros pro januis Christianorum stipites, ejus insultantes crudelitati, et incendia barbara provocantes. Egenti neophyto cum æs deesset, quo stipitem emeret, eum venditis vestimentis comparavit. A femina zonæ pretio emptum narrant. Intellexit Sangamidonus irritandos potius et augendos minis ac suppliciis illorum animos, quam frangendos. Itaque stipitibus revulsis et in platea combustis, ignominiæ metu statuit expugnare, quos cruciatuum acerbitate vinci posse diffidebat. Vicus erat in Urbe Meacensi

Fortitudo Christianorum,

Christianorum idcirco dictus, quod in illo ethnicus, præter unum, nullus habitaret. Ex eo vico viros omnes educit; tum arreptas illorum uxores et filias, vestibus exutas, includi jussit in saccos stramineos, aut hirsuto junco textos, quibus oryzam in foro venalem rustici proponere solebant. Solum caput exstabat e saccis, ut agnosci possent. Istis ergastulis stramineis inclusæ, et palam agnitæ disponebantur longa serie in publico, ac sæpe dies noctesque complures, obrutæ nivibus, et frigore et inedia confectæ, semper tamen invictæ, perstabant. Interdum in saccos conjectæ appendebantur sublimibus perticis, et a bajulis per civitatem circumferebantur, stipante satellitum caterva, prosequente sannis et conviciis plebecula. Additi fuerant matribus aliquot filioli, et in sacculos quoque suos, ut oraverant impense, compacti. Placuit hæc ethnicis comœdia, eamque Langamidonus Ozacæ instauravit, ubi etiam templum Societatis erui a fundamentis jussit. Victus a feminis, itemque a pueris, quos flagris proscindi jusserat, quæsivit ab Imperatore, quid fieri viris vellet, quos necem ignemque flagitantes, in vincula conjecerat. qui dure et ignominiose cruciantur.

Imperator crudelitatis invidiam adhuc fugiens, speravit, fore ut ærumnosa vita citius, quam acerba morte Christiana constantia domaretur. Vivere miseros voluit, ne martyres, quod unice ambiebant, morerentur. Itaque alios deti-

nuit in vinculis, ubi fame, frigore ceterisque gravissimis incommodis macerarentur : alios amandavit in Tzugaram, extremæ Japoniæ plagam ad septentrionem, ut hanc regionem sterilem et incultam arando, colendoque exercerent; alios passus est ab immitibus regulis dynastisque, igne, ferro, cruce, consumi.

Episcopi Japonensis obitus;

Turbatis hunc in modum rebus Japonicis, intempestiva mors Episcopi Japonensis P. Ludovici Cerqueiræ intervenit, Nangazachii, decimotertio Calendas Martii. Hunc Societati Lusitania dederat. * Consecratus Episcopus in Japoniam solvit anno MDXCIV, et Ecclesiæ sibi commissæ gubernaculum tenuit per annos sexdecim, prudentia singulari, charitate, patientia, et modestia; quæ virtutes animos illi non tantum Christianæ plebis, sed etiam infidelis populi conciliaverant. Clerum Japonensem instituit, formatosque in Societatis Seminariis indigenas initiavit S. Ordinibus. Idem libros edidit utiles et moribus gentis accommodatos. Nihil decernebat nisi diu multumque commendatum Deo, et cum prudentibus expertisque viris communicatum, plus alienæ prudentiæ tribuens, quam eruditioni suæ; cavensque figere ac statuere, quod postea mutare ac refigere laboraret. Pristinæ vitæ, cum inter nos degeret, severitatem ac normam, quoad licuit, retinuit, ut ab eo nequaquam deposita religiosa professio, sec aucta pastoralis officii sollicitudine videretur. Successor

*anno 1566.

illi designatus est P. Didacus Valens, qui donec adveniret in Japoniam, clavum Ecclesiæ Japonicæ Clerus electione Canonica detulit P. Valentino Carvallio, Provinciali Japoniæ. Cleri judicium non modo approbavit Paulus V, verum etiam sanxit, ut deinceps, quoties Japonensem Ecclesiam orbari Pastore suo contingeret, ejus regimen ac Vicarii munus capesseret is, qui Societati nostræ tunc præesset in Japonia, ne quid e longiore successoris mora detrimenti caperetur. ei successor designatus.

Statim atque Japonici gregis curam accepit P. Carvallius, eo conatus omnes intendit, ut procellam, in commune religionis exitium conflatam sedaret. Ejus auctor præcipuus erat Sifojus, regni primarius administer, tam carus Imperatori, quam omnibus invisus, audax, vafer, impius et omnia divina pariter et humana lucro posteriora ducens. Quærenti Carvallio, quibus maxime modis illum placaret; P. Jacobus Mesquita Lusitanus ad eam rem aptissimus occurrit, annos octo et triginta in Japonia versatus, collegii Nangazachiensis rector, vir eximiæ virtutis ac prudentiæ, quodque rei caput erat, Sifojo carus et amicus, si quis tamen homini improbo carus esse probus potest. Venit ad Sifojum : multa dixit, quibus probaret Christianorum innocentiam, et fidem atque observantiam erga Principem. Sifojus dicentem ferociter abigit : actum esse de Christianis, nec moveri Principem, nec rogari posse prædicans, cujus

nomine Christianos ac præcipue Religiosos intra biduum Nangazachio jussit excedere ac deportari in Facundam insulam, unde vela in Philippinas aut Macaum darent. P. Jacobus Mesquita oppressus gravi morbo tenebatur : ceteros sequi coactus est. Facundam attigere Sexto Cal. Novembres, ibique dies decem, dum parantur navigia, dum venti faventes expectantur, substiterunt, pars jacentes sub dio, pars angustis olidisque piscatorum conclusi mapalibus in summa rerum omnium penuria, nec minori militum ethnicorum, a quibus custodiebantur, immanitate. P. Mesquita non tantum remediis, ut morbum depelleret, sed etiam alimentis, ut viveret, destitutus, ad æternæ vitæ portum pridie Nonas Novembres prius pervenit, quam alii committerent se mari. Annos expleverat unum et sexaginta.

P. Mesquita ærumnis in deserta insula consumptus.

Numerabantur in Japonia Societatis homines centum et septemdecim. Ex iis remanserunt latebris tecti octodecim Sacerdotes, et fratres novem; alii octavo Idus Novembris in tria fuerunt impositi navigia, cum aliquot alumnis Seminariorum, multisque regibus olim ac principibus, nihil e priori fortuna retinentibus, præter patientiæ gloriam et fidem. Adversa navigatione conflictati e nostris quatuor paulo post obierunt. Quam esset misera sors illorum qui remanserant in Japonia, cognosci potest ex ipsorum litteris. *Obscura clausus cellula sum,* inquit eorum unus. *Cœlum per*

Sociorum in Japonia status.

sexaginta dies vix aspexi : malignam lucem rima vitiosi parietis præbet. Æstum intolerabilem augent loci angustiæ. In vicinum pagum identidem excurro, sed quia latere in eo facile non possum, in antrum meum me protinus recipio. Alius ita scribit : *Ter hoc anno Grocuram petivi* (primaria civitas est regni Bungensis) *non sine ingenti labore ac periculo. Noctu erat iter faciendum, ignota sæpe via, sæpe abrupta et præcipiti, ac deserta. Interdum corruebam non sine vulneribus et vitæ periculo. Æstu, frigore ac fame confectus in morbum ter quaterve incidi. Vix tutus sum,* ait alius, *in intimo et humido casæ angulo. Hospes meus nec liberis nec famulis fidit. Clam submittit mihi paulum oryzæ aqua coctæ. Domesticis somno oppressis pedem effero intempesta nocte, quo salus animarum vocat. Ex anguli mei pœdore uvido graves laterum dolores contraxi, qui neque stare me, nec jacere patiuntur. Animus lætitiis omnibus affluit, quæ in ipsum redundantes corpus, morbum et incommoda cetera consolantur.* Ejusmodi ærumnis duo succubuerunt anno MDCXV : F. Mancius Misoguccus Japon, mense Februario, et P. Mancius Firabayascus, itidem Japon, mense Martio.

Annus Christi 1615 : Societatis 76.

Legatio in Babyloniam ; ejus occasio.

Romam diu et Orbem Christianum suspensum tenuit Pontificis Romani legatio ad Patriarcham Chaldæorum, cujus initium Scriptores non pauci; exitum nemo, quod quidem sciam, litteris consignavit.

Chaldæi, quorum regio ad Euphratis et Tigris confluentes late porrecta, veteri Babyloniæ utcumque respondet, Nestoriani vulgo vocantur, quia retinent errores Nestorii, quibus imbuti, et ab Ecclesia Romana divulsi, proprium sibi Patriarcham Babylone instituerunt. Non semel ad obsequium et communionem cum Sede Apostolica redire velle visi sunt, in primis autem anno MDCX, cum eorum Patriarcha Mar-Elias ad Paulum V misit Adamum, Cameræ Patriarchalis Archidiaconum : qui se missum dictitans, ut rationem fidei Chaldæorum et doctrinæ redderet, mansit Romæ annis tribus, ac disputantes theologos, ut Pontifex jusserat, frequens audivit : demum visus assentiri omnibus, quæ audierat, et litteris ad Patriarcham amplissimis ac muneribus onustus, Roma decessit ineunte Junio anni MDCXIV, cum duobus nostris Sacerdotibus Antonio Marietto, et Petro Matescita, quibus datum a Paulo V negotium, ut Patriarcham convenirent, et optatissimum concordiæ negotium conficerent. Navim procellis jactatam ad Cyprum appulerunt Cal. Januarii hujus anni, et in Meso-

potamiam decimoquarto Calendas Quintiles pervenerunt. Excepti ab Amidæ Archiepiscopo, et cum illo ejusque comitibus Nestorianis identidem congressi, deprehenderunt supinam Sacerdotum miseræ gentis inscitiam, qui duos in Christo personas ponerent, neque quid persona, quid natura sit, quod utriusque discrimen, explicare possent. Id exponere aggressus P. Mariettus unum hoc ab Archiepiscopo, momentis rationum victo, responsum tulit : sic institutum a prima pueritia populum esse, nec ab antiqua opinione unquam dimovendum. Nestorio falsos errores affingi, qui vir sanctus, et miraculis clarus exstitisset.

Quid egerint PP. Missi ad Chaldæorum Patriarcham.

Miserantibus tantam cæcitatem Patribus perferuntur a Patriarcha litteræ. Illos hortabatur, ut Mesopotamia discedere ne cunctarentur, neque ulterius pergerent : serpere jam inter Turcas rumores de illis periculosos; versari se magno in metu, ne ipsorum causa, sibi ac suis aliquid exitii crearetur. Patres epistolam ab Adamo fictam suspicati, mandata Summi Pontificis opponunt, se ab eo missos ad Patriarcham, nec discessuros donec ipsi diploma Pontificium in manus tradidissent. Ita locuti, Adamo, pertinaciam illorum, ut aiebat, incusante, dant se in viam, et octavo Idus Sextiles antiquam Ninivem tenuerunt. Non procul habitabat Patriarcha, Telloscof loco nomen. Illuc pergebant læti, cum ipsum Patriarcham obvium habuerunt. Salutant, venerantur, diploma Ponti-

ficis offerunt. Resalutat comiter, et missum quidem a se Romam Adamum Archidiaconum fatetur; at nihil ipsi mandatum a se fuisse, quam ut ageret cum Summo Pontifice de concedendo Hierosolymis Sacello nationi Nestorianæ in æde S. Sepulcri, quemadmodum Græcis, Armeniis, aliisque Christianis nationibus concessum erat. Si quid ab eo de religione propositum, aut mutatum fuisset, id factum, ut nummorum aliquid corraderet. Ad vos quod spectat, inquit, licebit consistere apud me, quandiu videbitur, quamquam non sine periculo a Mahometanis, quorum in ditione ac potestate sumus : ad religionem quot attinet, nihil mutandum aut movendum denuntio. De muneribus Pontificiis factus certior, quæ Adamus ipsi deferenda sumpserat, gratias egit, et Patres de Romanæ Sedis amplitudine, deque ipso Pontifice Maximo disserentes domi suæ libenter audivit. De Nestorio et ejus erroribus mentionem fieri passus non est. Adempta spes rei bene gerendæ, et pronus in hyemem annus, Patres in Italiam reverti coëgerunt. Admonitum semel iterumque diligenter Patriarcham rogarunt : num quid significatum Summo Pontifici vellet? Scripsit in hanc fere sententiam: Plurimam dicebat salutem Summo Pontifici, quem verbis perhonorificis compellabat. Negabat missum a se Adamum, ut rem ullam in Chaldæorum doctrina mutaret. Litteras, in quibus de religione ageretur, si quas obtulisset Pontifici,

ab eo suppositas, et confectas fuisse. Sibi esse certum, perseverare in fide a majoribus tradita. Denique profitebatur gratissimum sibi accidisse Patrum adventum; nihil a se prætermissum, ut eos diutius retineret, verum ipsorum precibus, atque adeo metu ne quid acerbius in illos Turcæ consulerent, permotum annuisse, ut citius abirent. Addidit litteris levia quædam munera ferenda Romano Pontifici, quædam Patribus obtulit.

Hunc in modum digressi Patres Aleppum attigerant quinto Nonas Octobris, cum novus attonitos rumor perculit. Adamus, observato eorum discessu, ad Patriarcham evolat. Negat, Patres a Pontifice missos, verum a suæ Societatis Præposito Generali, ea mente ut impedirent ne sacellum Nestorianis in æde Hierosolymitana traderetur : litteras Patriarchæ datas, non fuisse a Paulo V scriptas, sed ab eodem Præposito Generali. Offensi calumnia Patres redire ad Patriarcham decreverunt; non tamen ambo, sed unus illorum dumtaxat, ut superesset alter, si quis alterum casus opprimeret, ac sane omnia erant ab Archidianono scelerato metuenda. Sycophantæ calumnias evidentibus argumentis refutavit Pater. Objecit illi etiam in os anathema Nestorio dictum ab ipso Romæ. Ego vero, inquit ille, anathema Nestorio numquam dixi; id unum affirmavi, si sanctus Nestorius ea, quæ illi tribuuntur, sensit, dixitve, detestari me hominem ac devovere : at eum hæc

nunquam dixisse vel sensisse certe scio. Applausit dicenti multitudo circumfusa. Superos omnes testatus Pater protulit Adami concepta verba, ut exstabant Romæ in publicas tabulas relata, et editam ab eo fidei professionem : intulit quoque sermonem de muneribus ipsi a Pontifice traditis, quæ ad Patriarcham deferret. Elatus ira veterator : Mihine quidquam Pontifex? ait.... et saxum, quo Patrem feriret, sustulit. Fit clamor. Lapis e furiosi manibus eripitur. Pater veritus pejora, se subduxit, et Aleppum repetiit, unde cum Socio solvens quinto Nonas Martii anni sequentis, Romam est reversus, et mœsto Pontifici quæ fecerant et audierant retulit.

Missio in Mengreliam

Successum aliquanto feliciorem, etsi non usquequaque lætum, habuit expeditio in Mengreliam et Georgianos suscepta. Jacet Mengrelia inter mare Caspium et Pontum Euxinum. Incolæ nunc Odisci vocantur, olim Colchi : civitas primaria Sebastopolis; flumen præcipuum, Phasis. Natos infantes ungunt chrismate, et cruce signant : eosdem post biennium in calidam immergunt, et ori panem consecratum, ac vinum, inserunt; hic illorum baptismus. Episcopi suas tiaras emunt magno a dynastis. Sacerdotes sacra ministeria vendunt quam possunt plurimo; iidem ducunt uxores, et ad secundas nuptias facile convolant. Hæc illis facultas non carius quam aureo nummo constat. Victimas, ut in veteri lege im-

molant. Abstinent a carnibus feria secunda, in honorem lunæ : jejunium, sumpta Eucharistia solvi putant. Pleræque ceremoniæ ac ritus iidem, qui apud Græcos. Miserat Mengreliæ rex oratorem ad aulam Ottomanicam, de pace inter Mengrelos et Turcas componenda, simulque Sacerdotes Latinos a Patribus Constantinopoli degentibus postulavit. Patres occasione data læti duos e suo numero delegerunt, qui Mingrelanum oratorem in patriam redeuntem sequerentur. Baro Sancyus, regis Christianissimi apud Turcas legatus, necessarios ad jacienda Missionis utilissimæ fundamenta sumptus obtulit. Profecti mense Maio anni superioris MDCXIV cum præfecto Turcico, cui pacis cum Mingrelis componendæ data cura, et Trapezuntem delati, perhumaniter accepti sunt ab Ignatio Archiepiscopo, collegii Græcorum in Urbe olim alumno. Invitabant illos ac retinere conabantur Armenii, Romanæ fidei cultores in iis oris, et Societatis operam implorabant. P. Grangerius eos, bono animo esse jussit, quam postulabant opem pollicitus, si Mengrelica Missio constitueretur. Egressus Trapezunte littora Laziæ legit. Ea regio Trapezuntem inter et Georgiam porrigitur. Totam fere Mahometes occupavit, cum esset olim tota Christiana : superest adhuc in quibusdam locis nomen Christianum, at vix quidquam præter nomen. Quos potuit P. Grangerius obiter docuit, maxime pueros : instabat enim

hyems, et mare procellis infestum sæviebat. Per illas tamen et sexcenta pericula elapsus, Mingreliam habebat in conspectu, cum præfectus Turcicus naves in anchoris stare jussit, donec pax esset omnino confecta.

et ejus exitus infelix.

Dum fetiales ultro citroque commeant, abiit mensis unus, itemque alter. Sedebant naves in statione parum tuta, cum repente octavo Idus Novembres atra nox, et grandine, fulminibus, ventisque horrida mare miscuit, ac decem naves momento confregit. Quæ Socios vehebat paulo instructior, aliquandiu ventis et irato mari obluctata, scopulis demum illisa periit. Nostri cum plerisque vectoribus, tabularum ope semianimes enatarunt. Amissa supellex pia, quam instruendæ Missioni paraverunt, cum libris omnibus et sacelli instrumento. In proximum erepsere pagum, et populum docere cœperant, ad summas rerum omnium angustias redacti, et de reditu cogitantes, cum subito affertur compositam esse pacem. Omisso reditus consilio, mari se committunt, et tertio Nonas Februarias hujus anni fluvium Phasim, ac postridie regiam urbem subiere. Prodeuntes Rex benigne complexus est; verum publicis negotiis ita districtus, ut potestas agendi de religione perdiu nulla fuerit. Huic male accessit bellum contra Turcas exortum, de quo proceres interrogati, duorum triumve annorum fore responderunt: denique Patris Grangerii Socius in

morbum delapsus eo consumptus est. Ipse cum nullam constituendæ Missionis spem cerneret, divinam adoravit Providentiam, quæ Regum ac regnorum salutem, et idonea tantis rebus *momenta in sua posuit potestate;* et Constantinopolim rediit. Eo cum appulisset exeunte Sextili, pestifera correptus febri, postero quam advenerat die cessit e vita.

Missio in Cocincinam, et incolarum mores.

Geminæ hujus in Mingreliam et Babylonem expeditionis infortunium consolabitur fortunata sors tertiæ in Cocincinam. Hæc Asiæ ultimæ ad Orientem pars est, Sinensi occasum et meridiem versus Imperio juncta, cujus olim portio fuisse dicitur, ut et ipsum Tunkinum cui Cocincina proxime subest. Ante annos admodum quinquaginta Sacerdotes duo ex ordine S. Augustini, itemque unus Franciscanus Macao in Cocincinam profecti, aliquot indigenas fecerant Christianos, sed interprete destituti, a Mandarinis etiam affecti contumelia, irrito conatu recesserant. Nec multo plus proficiebant Sacerdotes, qui Lusitanos Castellanosque mercatores comitabantur in Cocincinam ad quadrimestres nundinas, quibus solutis Macaum se referebant. Stabilis ac perpetuæ Missionis constituendæ occasio hæc fuit. Convenerant in Cocincinam e Japonia Christiani complures exilio damnati. Ex iis itemque mercatoribus Lusitanis, cum legem divinam Rex cognovisset, ejus magistros a Sociis Macaensibus postulavit. Rector col-

legii gratias primum ingentes Deo egit, qui præclarum hunc laborem Societati suæ imponeret, deinde Patrem Buzomium Neapolitanum, Theologiæ in collegio Macaensi professorem, delegit, qui Cocincinensis Missionis fundamenta jaceret. Additur illi comes P. Didacus Carvallius, aliquot annos versatus in Japonia, unde pulsus in exilium, Macai considebat. Ambo destinatam sibi stationem ineunte anno sunt ingressi. Ac Japonibus quidem statim operam navavit Carvallius; Buzomius animum ad Cocincinensem linguam perdiscendam cognoscendosque gentis mores appulit. Rex, divinæ legis promulgandæ et construendi templi potestatem amplam fecit. Ubi primum Buzomius linguæ vernaculæ facultatem aliquam est adeptus, continuo veteres illos Christianos, a Sacerdotibus naves Lusitanas comitantibus baptizatos, erudivit, et quæ sit imposita Christi cultoribus vivendi norma, docuit. Illi, cum indigenis aliquot Dei legem amplexis, recens templum impleverunt, in quo primum sacrificium vero numini est oblatum, et Ecclesiæ Cocincinensis primordia faustis ominibus consecrata.

Tam felicibus initiis excitatus P. Buzomius, et aditum ad Regis filium proceresque nactus, illos amore cœlestis doctrinæ succendit, alterumque templum, cum Societatis domo, condidit. Cum primum in urbe Cacciano, provinciæ Cacciamensis primaria, verba fecit de suppliciis sem-

piternis, quibus cruciandi forent quicumque alium a vero colerent Deum, tantus audientium animos incessit timor, ut trecenti Christo nomen dederint. Ea Macaum perlata, Socios gaudio replent. Ex his statim delecti, paratam in messem veniunt.

Quinam sint Cocincinensium mores, quæ regionis indoles, quæ commercii facultas, forma et materia, fuse narrat Historiæ nostræ Pars V*. Belli studiis indulgent, ut Japones; doctrinam et bonas artes Sinensi more colunt. Itaque nunc litteratos, nunc militiæ peritos provinciis gubernandis præficiunt. Sinensibus characteribus ad scribendum utuntur. Omnes una constant syllaba, quæ ut vario pronuntiatur tono, ita res varias significat. Verborum conjugationibus, modis, ac temporibus, carent. Eorum vicem obeunt pronomina, cum adverbiis tribus, uno præsentis temporis, altero præteriti, tertio futuri, quæ verbo juncta mentem loquentis explicant. Viros de publica re bene meritos ita munerantur: Ipsis certum assignant numerum hominum, in quos imperium regali par et jus habeant; a quibus colantur tamquam domini: quorum juventur opibus, armis et corporibus defendantur. In jure dicundo hunc modum tenent. Prodeunt ante judicem actor et reus; stante circum populi corona suam quisque litem explicat, probat, defendit. Judex perorata causa, utrumque paucis interrogationibus lacessit ac verum indagat. Quin, ex

* *Lib. XV. ad calcem §. XI. n.° 54. et seq.*

ipso circumstantium vultu, et admurmuratione nunc secunda, nunc adversa, facillime cognoscit ab utra parte stet æquitas. Quare in alterutram litigantium sententiam statim clara voce dicit, mulctæ, exilii, aut capitis, ut quæque causa fert, neque ulla interponitur mora quin exitum sententia sortiatur. Unam vulgo ducunt uxorem. Nihilominus conceditur lautioribus secundarias aliquot alere conjuges, cum bona primariæ uxoris venia. Divortium non vetant leges, modo causæ graves intercedant. Dotem ab uxoribus viri sumunt, eorum ædibus accipiuntur, et fortunis sustentantur. Amplius centum triremes expeditas et instructas Rex in promptu semper habet, nec laborat in conquirendis remigibus, nec eos, ut facinorosam turbam, vinculis constrictos tenet. Instante bello lictores oppida concursant, et quemcumque de plebe aptum tractando remo nanciscuntur, hanc Regis nomine ad triremes deducunt, non valde reluctantem, nam in ipsis triremibus laute remiges pascuntur, atque amplissima capiunt stipendia : et quamdiu domo absunt, ipsorum uxores, liberi, et famuli aluntur de fisco. Loricas et galeas, ut onus pugnanti militi grave, respuunt. Clypeos adhibent, sed grandiores, oblongos, et ita concavos, ut iis miles tectus, tamquam in turricula stet. Quod attinet ad mores incolarum, pacem inter se et concordiam, humanitatem erga exteros, misericordiam in ærumnosos

et egentes, diligenter fovent. Feminæ utuntur veste modestissima. Ingens petasus incumbit fronti, sic ut oculi extra tertium quartumve passum nequeant evagari. Comam alunt viri feminæque, et ad pedes usque promittunt. Nobiles nunquam ungues resecant : id nobilitatis insigne, quo se putant secerni a populo, qui ne ungues patiatur crescere, labore quotidiano prohibetur. Luctuosus et funebris color, albus est. Nemo aperit caput salutandi causa; idque probrosum in primis putant. Itaque rogandus fuit Summus Pontifex Paulus V ut rem divinam a Sacerdotibus pileatis fieri concederet. Fas contra et pulchrum ducunt, nudis ingredi pedibus ac tibiis. Vescendi et accumbendi ratio eadem quæ Sinensium.

De P. Nobilio testimonia summorum virorum.

Antequam ex Asia discedamus, juvat oculo veloce lustrare quid in India. Japonia, et Philippinis agatur. P. Robertus Nobilius, non contentus e Brachmanum scriptis demonstrare immunes superstitionis esse ritus a Christianis Madurensibus usurpare solitos, quæstionem e juris formulis instituit. Centum triginta Brachmanes rite interrogati, rem ita se habere, apposito nomine suo et chirographo confirmarunt. Alexius Menesius Indiarum primas, idemque Goanus Archiepiscopus, doctrina cum eruditissimis præsulibus, pietate cum religiosissimis comparandus, qui religiones Indorum, et instituta unus omnium optime callebat, professus est cuncta sapienter et pie a

P. Nobilio gesta esse. Simile testimonium, qui ritus illos per sese ac proxime intuebatur, Archiepiscopus Cranganorensis dedit, quod exstat in Romanæ Professorum domus tabulario ejus exaratum manu. In eo sancte affirmat a se lecta et examinata penitus, itemque a viris peritissimis, quæcumque essent vel objecta Patri Nobilio, vel ab eo responsa, neque modo illum vacare culpa, sed ob rem catholicam prudentissime ac felicissime administratam laudandum esse testatur. Perlatis Romam ejusmodi testimoniis, magna lux oborta. Non tamen omnino compressæ disputationes, et rixæ theologicæ, quæ annos deinde complures occuparunt.

In Mogolis aula, regiæ stirpis tres baptizati juvenes.

Nescio quo pacto nobis excidit felicissimus et pulcherrimus religioni dies in Mogolis imperio, et trium regiæ stirpis principum baptismus, quem anno suo præteritum hic reponimus, quamquam ejusdem fructus ad hunc etiam annum pertineat. Imperator tres fratris sui filios adoptaverat, lectissimos adolescentes. Vocato P. Hieronymo Xaverio, Scis, inquit, religionem Christianam quanti semper fecerim, et quæ dederim tibi promissa : nunc illa præsenti pignore firmabo. Tibi hos Principes do, Christi lege instituendos et baptizandos. Gratias egit amplissimas Pater, et pristina beneficia hoc uno cumulari confessus est. Cum fremerent Mahometani. Quid fiet, ait Imperator, cum me quoque Christianum India videbit? Tum proceres

aliquot Christo et Patribus dediti; nihil restabit aliud, inquiunt, nisi ut Principem populus imitetur.

Postquam regios adolescentes P. Franciscus Corsus diligenter erudivit, destinatus est illorum baptismo dies. Lusitani, Veneti, Poloni, Armenii, Angli, auro nitentes et purpura, primum pompæ ducebant agmen. Subibant pueri Principes in albis sedentes elephantis. Pendebat e collo singulis aurea Crux : circum plurima nobilitas, et lauta famulorum caterva. Progressos eo comitatu ad Societatis templum P. Hieronymus Xaverius Sacerdotali trabea indutus excepit. Ut quæque sacri baptismatis ceremonia peragebatur, adolescentes ipsimet respondebant singulari pietate. In aulam reversos Imperator certa nummorum summa singulos donavit, quam ipsi obtulerunt Christo, eaque vicatim pauperibus distributa statim fuit, ut nulla pars civitatis foret, ad quam celeberrimæ lucis lætitia non perveniret. Hanc non parum auxere proceres e regia familia baptismi beneficium paulo post consecuti. P. Franciscus Corsus mandatas puerilibus animis fruges colere perrexit. Quæcumque illis explicabat, repeti sibi ab iisdem jubebat Imperator; nec semel auditus est cum diceret: Christianos esse illos quidem lætor, magis autem lætabor si veros ac germanos esse Christianos intelligam.

Japoniam ingredi refugit oratio. Terrent nova et inusitata crudelitatis impiæ spectacula : sup- Japoniæ sors infelix;

plicia prioribus inaudita seculis et ad Christianum nomen stirpitus eradicandum inventa * : quibus fracti cultores aliqui divinæ religionis cecidere : alii erecti constantesque dignam priscis Ecclesiæ temporibus fortitudinem ostenderunt. Ad perdendos Christianos eo vehementius et citius Daifusama incumbebat, quod metueret ne partes hostium amplecterentur, in eo quod meditabatur bello. Id studebat unum ut Imperii possessionem firmam Xoguno filio suo pacatamque assereret, sublato Fideyoro Taicosamæ filio, Imperii herede legitimo cui datus tutor et custos fuerat. Ac primo quidem Fideyorum clam de medio tollere tentavit, sed Principis adolescentis mater, audax mulier, et artium aulicarum gnara, structas a perfido tutore detexit insidias, consilia et molitiones elusit. Daifusama irritos cadere conatus, et insidias perlucere dolens, nescio quid injuriæ a Fideyoro illatum sibi causatus, illum aperto Marte petit, et Ozacam, ubi degebat, obsidet cum ducentis militum millibus. Pugnatur incredibili animorum et armorum contentione. Fideyorus in acie aut fuga cæditur : victor Daifusama Imperator Japoniæ salutatur mense quintili.

* *Hist. p. V. L.XX.n.61.*

Incendium Ozacæ, et ruina;

Erant Ozacæ Sacerdotes duo Societatis Balthazar Torres et Joannes Baptista Porrus. Capta et incensa magnam partem urbe, P. Torres dum propriæ salutis immemor ethnicos hinc ab igne, inde ab hoste obsessos et baptismum orantes,

edoctos pro tempore, vitali respergit unda, et ab ignibus hostibusque sempiternis eripit : incidit in militum globum, qui ad cædem, ad prædam, ad flagitia, undique ruebant. Ab iis catechista Patris, quia Japon et hostis, in vestigio confossus est. Pater, quia immunis belli utpote Europæus, quod sermo et oris ipse color indicabat, evasit ille quidem incolumis, at nudus, erepta etiam subucula, et ex urbe se proripuit. Ejus Socius P. Joannes Baptista Porrus parum abfuit quin periret. Miles ethnicus acinacem in ejus caput libraverat; furiosi manum alter miles humanior tenuit. Porrus urbe vix egressus inter sexcenta pericula, delituit in limosa palude, et arundinibus obsita, quo Christiani complures e prælio se conjecerunt : eorum excepit confessiones, vulneratis, ac morientibus opem tulit. pericula Patrum et ærumnæ.

Philippinas insulas ingredimur cum lugubri Japoniorum Patrum et Principum exulum turma. Omnes in tria fuerant impositi navigia. Vehebatur uno Justus Ucondonus, ex Rege potentissimo et ditissimo egens, spoliatus, et uno Christo satis dives. Eum comitabantur viginti tres homines Societatis, cum Hispanis aliquot Sacerdotibus et clericis Japonibus. Navis in Philippinas vela fecit. Aliis duobus navigiis vecti e Societate sexaginta, et alumni Seminariorum quinquaginta, Macaum petierunt, secundisque ventis usi, portum attigerunt intra paucos dies. At Ucondonus diu cum Japonici exules ad Philippinas appellunt.

Mors Justi Ucondoni.

ventis et mari luctatus navim debilitatam ægre ad Philippinas applicuit. Exceptus est regali magnificentia, verum collecto ex navigatione permolesta morbo, quadragesimo post die quam attigerat Manilæ portum, Nonis Februarii cessit e vita ætatis anno quarto et sexagesimo. Exequias non ut exulis, sed ut Principis de re Christiana optime meriti, civitas universa duxit. Laudavit mortuum oratione funebri Rector collegii. Nunquam illustrior materia laudis, nunquam uberior. Ejus familiam et reliquos exules gubernator Philippinarum ita rebus omnibus ornavit, ut eos exilii sui oblivio facile caperet. Gubernatoris liberalitatem Rex Catholicus vehementer approbavit. Cujus de Philippinis fertur præclara vox et Rege Catholico digna. Cum enim aulici quidam exiguum ex istis insulis capi fructum dicerent, easque deserendas suaderent: Ego vero, inquit Rex, pro una ædicula sacra, aut neophyti unius salute Indiarum gazas, et omnes Hispaniarum thesauros libenter expendam, ac bene collocatos arbitrabor. Ille vero non una tantum æde sacra, sed plurimis templis et veris Christi adoratoribus ornatam auctamque in Philippinis religionem, commercium etiam fructibus earumdem locupletatum vidit. Societas quidem nostra, ut nihil modo de ceteris ordinibus religiosis dicam, quorum laudari satis Apostolici labores nequeunt, stabiles domos majores quatuor, minora vero domicilia, seu resi-

Præclara vox Regis Catholici.

dientias, duodecim hoc anno numeravit. Omitto varias Missiones non uno stabilique loco fixas, sed levium castrorum more huc illuc deferri solitas. Crevit iste postea numerus, et operariorum domorumque fecundo proventu magis in dies increbrescit.

Rerum in Paraguaia status,

Idem prædicari de Paraquaria poterat, cujus initia dura et radices amaræ, fructus postea dulcissimi extiterunt. Ex ea recentes collectæ fruges in ea parte quæ inter fluvios Paraguaium et Paranam late porrigitur, populis pluribus aut ad veri Numinis cultum adductis, aut ad eumdem, a quo paulum deerraverant, reductis. In Chilensi quoque regno ex Zumbellaniis, Cararaianis, Araucanis permulti, abjectis armis, pacem cum Hispanis, et abjuratis superstitionibus pacem cum Deo, auctore P. Ludovico Valdivia, fecerunt. P. Melchior Vanogas inspexit erudivitque insulas triginta quinque, quibus Chiloense fretum est consitum, trecenta et octo capita salutaribus aquis perfudit. Rebelles Osorniani, aliique vicinæ continentis populi, Christianum Sacerdotem expetiverunt, qui statim quingentos in Christi nomen ac familiam adscivit.

et in regno Chilensi.

Brachium S. Francisci Xaverii in Europam defertur.

Revertimur in Europam cum insignibus S. Francisci Xaverii reliquiis, brachio nempe dextro, quo vir Apostolicus tot edidit miracula, tot ethnicorum millia salutari baptismatis aqua lavit. Hoc ornandam thesauro Urbem Claudius

Aquaviva censuerat, ut cum integrum Xaverii corpus Oriens possideret, ejusdem aliqua parte Occidens frueretur, a quo totus Orienti Xaverius datus erat. Goani Patres, quorum in æde sacra corpus S. Xaverii servatur adhuc vivo et spiranti simillimum, timuere ne quid oriretur tumultus a civitate, si res palam fieret; quippe quæ beatum corpus tanquam Palladium suum custodit, neque partem ejus ullam detrahi sibi passura facile videbatur. Quamobrem nocte intempesta in sacellum ubi sacrum pignus quiescit, se contulerunt tertio nonas Novembres anni MDCXIV. Contremuit tellus ter, et ingenti metu omnes concussit. Pedem trepidi referebant, nemine sacro corpori admovere manum auso, cum unus animosior ceteris, vocem tollens, orare sanctum cœpit, ut qui majoribus suis tam audiens dicto semper fuisset, eamdem obedientiam ostenderet exemplo memorabili, nec sacri corporis partem Europæ supplicanti denegaret. Visus est annuere Xaverius : sedato terræ motu, Patres in sacellum regressi, partem brachii qua protenditur a cubito ad carpum cum ipsa manu secuerunt. Caro mollis et lenta, ut corporis vivi apparuit; fluxitque rosei ac puri sanguinis copia, quam linteo reverenter exceptam Patres ad Philippum IV in Hispaniam miserunt. Beatum pignus P. Sebastianus Gonzales Rector Goanæ Probationis domus Romam detulit, ubi nunc visitur in æde Professorum, et ubi, opinor, gaudet

Xaverius redditum se saltem aliqua sui parte Ignatio parenti amantissimo, cujus sacros cineres oppositum sacellum servat, ut quos divinæ gloriæ studium toto velut orbe disjunxerat, eos Numinis providentia post obitum, conjunxisse videatur.

Rerum ab Indiarum Apostolo gestarum renovata præsenti munere memoria, novos ad æmulandum subjecit stimulos ejus fratribus et imitatoribus, qui suas in Europa sæpe Indias reperiunt, laborum juxta et palmarum feraces. Sacerdos Societatis maritimam Hiberniæ, Boream versus, oram lustrans in triginta jam grandes natu viros, ex iis qui Scoti Hibernici vocantur, incidit. Orabant baptismum, affirmantes nullum apud se Sacerdotem, ac ne ministrum quidem hæreseos esse, qui natos infantes ablueret; se tamen a Catholicis quibusdam audivisse sacramentum hoc ad salutem esse necessarium. Pater, inscitiam virorum, et infantium calamitatem miseratus, doctrina salutari præparatos, fonte sacro lavit. Eidem plagæ septentrionali destinatus P. Nicolaus Nugentius, assignatam sibi stationem feliciter ingressus erat, cum accurrentes undique catholici suspicionem fecerunt exploratoribus. Ab iis comprehensus perductus Dublinum, et conjectus in carcerem, sex aliorum e nostris numerum auxit, qui variis in Anglia custodiis inclusi jam tenebantur. Missiones variæ per Hiberniam,

In ea Galliæ Australis parte, quæ Italiam proxime attingit, Dia, Vocontiorum olim, nunc Galliam,

Delphinatium, civitas est. Tota diœcesis, accitu Episcopi, lustrata, et illatæ per hæresim clades, utcumque sunt reparatæ. In iis sæpe locis divina res facta, ubi quadraginta totis annis fieri desierat. Errabundæ oves non paucæ ad Christi gregem sunt revocatæ; aliæ falsos pastores a veris secernere didicerunt, in disputationibus publice susceptis cum aliquot mercenariis pastoribus.

et insulas Ægei maris.

Ad insulas Ægei maris expeditio repetita fuit. Indigenas devinxerunt majorem in modum Socii, laudandis Græciæ catholicæ scriptoribus antiquis, et Græcanicis ritibus prudenter approbandis. Chios et Naxus, principio peragratæ : deinde Therusia. Episcopi Sedes, cœnobio sacrarum ex ordine Dominicano Virginum, et insigni plebis erga Romanum Pontificem observantia nobilis. Non eadem in insula Paro Latinorum cum Græcis consensio; quia nullos longo intervallo Sacerdotes Latinos viderant. Valuit multum ad demerendos Græcos significata Summi Pontificis erga ipsos benignitas, qui suis sumptibus Patres Societatis a quibus in vera pietate confirmarentur, mitteret, quique id curaret unum ut catholicam retinerent fidem ac doctrinam, nequaquam vero ut suos ritus et mores abjicerent, ut ipsis aliqui falso prædicabant. Ea denuntiatione multis in locis Romanæ Sedis amor et obsequium refloruit. Egressi Patres insula Paro, Scyron, inde Andron petierunt, ubi non solum a Christianis amantissime

fuerunt excepti, verum etiam a Turcis, quorum Prætor cum rescivisset eos in populo erudiendo, in explicanda pueris doctrina Christiana, in visitandis ægris, sublevandis pauperibus et calamitosis dies noctesque versari, nullo a quoquam accepto laboris pretio, magnis laudibus extulit Institutum ab humanæ mercedis commodique studio tam remotum.

Domicilia excitata et aucta.

Solebant jam inde ab anno MDCIX Socii excurrere identidem Novesium, quæ civitas assidet Rheno infra Coloniam Agrippinam. Fecit utilitas perspecta ut Ferdinandus, Coloniensis Archiepiscopus, certam in hac urbe magni momenti sedem Societati daret. Ad eumdem fere modum vocata Societas est ab Episcopo Argentoratensi Scelestadium, quæ civitas in primariis Alsatiæ urbibus numeratur. Sic Franciscus Forgatzius, Strigoniensis Archiepiscopus, nostros Tyrnaviam introduxit; sic Maximilianus Archidux Austriæ, collegium Ensishemiense fundavit. Temporaria sedes constituta fuit Holescoviæ in Moraviæ finibus, sed pernecessaria; quinquagesimum enim jam annum oppido pulsa Fides exulabat.

Obitus R. P. Claudii Aquavivæ.

Distulimus huc usque obitum R. P. Claudii Aquavivæ Præpositi Generalis, ne initium anni, tristis narratio infuscaret. Postremum enim Januarii diem ultimum vitæ mortalis habuit, et primum immortalis ac beatæ, ut merito persuadet ejus eximia pietas, recta mens et Numinis gloriam

unice spectans, prudentia Evangelica in gubernanda Societate, constantia in ejus legibus tuendis, et amandandis moribus. Ætas annorum LXXII, et negotiorum moles quam sustinuerat annis XXXIV quibus Societati præfuit, valetudinem ejus solito gravius debilitarunt octavo Calendas Februarias, ac demum exeunte Januario penitus profligarunt. Pontifex ægrotantem pia prece prosecutus est, misso ad eum cubiculi Pontificii præfecto. Purpurati Patres plurimi, et præsules exequias cohonestarunt.

Decretum a sexta Congregatione fuerat ut Præpositi Generales ante obitum scriberent Vicarii nomen, qui post ipsorum mortem curam Societatis gereret. Cui decreto morem gerens Aquaviva, schedam anno superiori exaraverat, in qua P. Ferdinandum Alberum, Assistentem Germaniæ, Vicarium Generalem nominabat : qui pro munere sibi imposito Congregationem Generalem indixit ad successorem Claudio Aquavivæ nominandum. Hæc habita Nonis Novembribus, Præpositum Generalem creavit P. Mutium Vitelleschum, Romanum, Assistentem Italiæ, annos natum duos et quinquaginta.

Congregatio generalis VII.

P. Mutius Vitelleschus.

Electo Societatis Præposito producta est Congregatio Generalis usque ad septimum Cal. Februarias anni MDCXVI. In ea statutum fuit alimenta non deberi a Societate iis quos dimittit : quis enim judex, inquiebant Patres, ad eos alendos tenetur,

quos ob aliquod delictum Ecclesiastico beneficio, vel clericali titulo spoliavit? Quis ordo religiosus id oneris suscipit, ut membra putrida, propter contagiem periculosam a sincero præcisa corpore, foveat ac nutriat? Laudabant ipsius Sedis Apostolicæ sententiam, cum Clemens VIII, hoc negotio diu multumque considerato, jussit anno MDXCVII morem pristinum ac jus sartum tectumque Societati manere.

In eadem Congregatione præscriptum fuit quid esset observandum in exequiis Præpositorum Generalium; item quid agendum cum iis qui alios in Societate seu verbo, seu scripto perperam accusarent. Visum est Congregationi graviter esse puniendos; imo eos etiam quicumque vitia occulta et gravia nostrorum, aliis quam domorum seu collegiorum Præpositis aperirent; certæ leges in hanc sententiam constitutæ.

Disputatum quoque fuit de comprimenda nonnullorum inconstantia, qui leve onus religiosæ vitæ graviter ferentes, defectionem a Societate ob causas parum idoneas meditantur. Quo modo isti sunt audiendi, quo pacto, quo tempore dimittendi, provisum est. Denique actum de pileo Sacerdotali, quo adhuc coadjutores temporales in aliquibus provinciis utebantur. Decreverunt Patres relinqui posse illis, ubi consuetudo invaluerat, aliis penitus adimendum, neque admittendos deinceps in Societatem, qui hac lege stare nollent.

Clausit Comitia Præpositus Generalis omnes cohortando ut hæc et alia sapienter decreta fortiter exequerentur; promisit nullo se loco ipsis defuturum, eorumque consilia et monita in optimam partem semper accepturum.

Viri illustres de Societate sub Claudio Aquaviva.

Quo diutius commissam sibi gubernavit Claudius Aquaviva, eo pluribus hominibus Societatis virtute ac doctrina claris ejus ætas abundavit. Primum inter illos merito locum obtinent qui ab hæreticis aut infidelibus, dum Catholicam docent Fidem, vel tuentur, mactati fuere, cujusmodi sunt P. Georgius Abramus, a Mahometanis in Æthiopia cæsus; P. Joannes Abrius, in mari, ab hæreticis; P. Vincentius Alvarus a Mahometanis in India; P. Martinus de Aranda, P. Horatius Vecchius, et P. Didacus Montalbanus ab Indis in America; P. Michael Brilmaker ab hæreticis in Germania; PP. Petrus Buzelinus, Otho Campensis, Laurentius Everardus, Carolus Sagerius, et Nicolaus Montanus, ab hæreticis in Belgio; PP. Franciscus Carrionus, Theodorus Mantelius, Georgius Carvalhalius, Josephus Furnalettus, et Jacobus Mesquita, ab ethnicis in Japonia; F. Dominicus Colinus, et P. Edmundus Donaldus ab Anglis in Hibernia; P. Joannes Cornelius et P. Rogerius Filkokius, PP. Henricus, et Thomas Garnettus, P. Eduardus Oldcornus, F. Ovenius, PP. Franciscus Pagius, Robertus Southwellus, Henricus Walpolus ab iisdem in Anglia, P. Franciscus

Fernandius ab ethnicis in regno Peguano: Sancti Joannes de Goto, Paulus Miki, et Jacobus Kisai in Japonia: P. Martinus Laterna, a Lutheranis, in mari Baltico: PP. Joannes Lelesius, et Michael Martus: denique P. Emmanuel Nerius ab Arianis in Transsylvania: P. Antonius Lopes, a barbaris in Perua. F. Franciscus Martines, ab ethnicis in Imperio Sinensi: P. Joannes Ogilbæus, ab hæreticis in Scotia. F. Blasius Pereira, ab iisdem in India: P. Franciscus Pintus a barbaris, in Brasilia: P. Andreas Saitus, in exilio, Mandæ: P. Jacobus Salesius, et P. Guillelmus Saltamochius, a Calvinianis in Gallia: P. Christophorus Spoteeus, FF. Joannes Estus, Matthias Vitriarius, et Nicolaus Mercator, a Lutheranis, in Livonia: P. Gundisalvus de Tapia, a barbaris, in Cinaloa: P. Michael de Urrea, a Ciuncis, in America.

Secundum inter insignes Claudiani temporis viros locum tribuimus, illis qui non morte quidem affecti, sed gloriosis pro religione laboribus et ærumnis confecti fuere. Tales exstiterunt Baltazar Barreira, Alfonsus Barzana, Guillelmus Batheus, Petrus Aloysius, Benedictus Arroyus, Edmundus Augerius, Petrus Braccinus, Nicolaus Bornus, Antonius Cordesius, Petrus Cotonus, Antonius Critana, Guillelmus Crittonius, Gabriel a Cruce, Cornelius Duystius, Petrus Ecixanus, Rudolphus Emersonius, Raphael Perrerius,

Ludovicus Froëz, Joannes Gerardius, Benedictus Goes, Alfonsus Gonzales, Huntlæus Gordonus, Ludovicus Grangerius, Joannes Hartus, Gaspar Haywodus, Christophorus Heliwodius, Henricus Henricius, Melchior Hurtadus, Thomas Laythwaytus, Joannes Lellius, Antonius Monserratus, Robertus de Nobilibus, Andreas Oviedus, Petrus Paëzius, Michael Pastor, Joannes Perceyus, Gervasius Polus, Thomas Poundus, Matthæus Riccius, Antonius Sanchez, Thomas Strangeus, Georgius Tavora, Guillelmus Westonus, Guillelmus Wrigthus, Xaverius Urtasus etc.

Longum esset illos enumerare qui ut peste contactis opem ferrent, in hac arena charitatis impigre desudarunt; singulorum nomina et laudes in edito commentario scriptor Societatis prosequitur. Longum quoque ac prope infinitum enumerare præcones Evangelicos, qui in Indiis, Japonia, America, et in variis Europæ partibus vitam inter sexcentos labores difficilem traxerunt, in *fame et siti*, in *frigore et nuditate, periculis in terra, periculis in mari, periculis in falsis fratribus* etc. dum legis divinæ sementem suis irrigare sudoribus non cessant.

Iis addimus tertio loco nonnullos, quorum virtus, aut doctrina præ ceteris enituit : cujusmodi ipse P. Claudius Aquaviva Societatis Præpositus, cujus vitæ virtutumque imaginem in postremo Partis V libro exhibuimus, Robertus Bellarminus,

Joannes Busæus, Petrus Canisius, Christophorus Clavius, Martinus Delrius, Fabius de Fabiis, Petrus Fonseca, Achilles Gagliardus, Oliverius Manareus, Ludovicus Molina, Organtinus Gneccus, Benedictus Palmius, Robertus Personius, Hieronymus Platus, Antonius Possevinus, Petrus Ribadeneira, Franciscus Ribera, Franciscus Rozus, Emmanuel Sa, Thomas Sanchez, Petrus Scarga, Nicolaus Serarius, Petrus Spiga, Franciscus Toletus, Horatius Tursellinus, Gregorius a Valentia, Alexander Valignanus, Gaspar Vasques, Hieronymus Xaverius, et alii quorum egregias dotes et res gestas cum passim Parte V, tum vero ejus postremus duobus libris complexi sumus.

FINIS.

INDEX

ET SERIES RERUM

quæ in Tomo quarto continentur.

Annus.		Pagina.
1603	Societas Jesu Lutetiam revocata	1
	Henricus IV Societatem defendit — P. Cotonus purpuram recusat.	4
	Collegia condita — vastatur Claudiopolitanum . . .	7
	In Anglia Patres exilio damnati	8
	Fr. Goes veneno peremptus a Saracenis.	9
	In Sinensi Imperio, prima B. V. Sodalitas — Vetitus plurium Deorum cultus	11
	In Japonia quid tolerandum et patiendum.	13
	Heroica puerorum et mulierum fortitudo	15
	Turcicus Præfectus inducit Patres in Æthiopiam. . .	18
	P. Pastoris in Perua mors	19
1604	Vocati in Moscoviam Patres — P. Martus dolo necatus.	20
	P. Cotonus graviter vulneratus — Hæretici exagitati .	21
	Primordia Collegiorum.	23
	Clades in Travancoride et in Pegu	25
	Progressus in Molucis, in Philippinis, in Japonia, in Guinea	26
	In Mexico Ethnicorum reductiones	30
	Peruviam adeunt LVI Socii	32
1605	In Gallia lites ob libros	33
	Societatis domuum varia sors	35
	In Anglia novo edicto proscripta religio — propagata in Sinis	37
	In Japonia, inconsultæ promissionis damna	40

Annus.		Pagina.
	Rex Montium Leænæ fit Christianus.	42
	Provincia Peruana in tres partes divisa	44
1606	Venetorum Interdictum — E Republica dimissa Societas	46
	In Anglia Conjuratio pulveraria — P. Garnetus, Oldcornus, Strangeus, Fr. Odoenus	50
	Transylvani PP. expulsi	58
	Vinc. Alvarus a Mahometanis cæsus — Martines in Sinis.	59
	Felix progressus in Asia et in Africa.	62
	Missio Madurensis — Collegia fundata	66
1607	In Anglia Juramentum fidelitatis a Paulo V condemnatum — Libellus a Rege conscriptus — Defectio Blakvelli.	67
	PP. Wrigthi et Balduini constantia — PP. Anglorum domus Watenensis.	68
	Res Transylvaniæ	71
	Varia sors collegiorum	72
	In Madura P. Robertus de Nobili.	73
	Saniassii et Gurii quinam sint.	76
	Religio inter Mogoles floret	78
	In Japonia Christiani paulum respirant.	80
	Fruges in insulis Bohola, Salomonis, in Guinea, in Æthiopia, in regno Mexicano — Nova Provinciæ Paraguaiæ conditur	81
	Finis Controversiæ de Auxiliis	87
1608	P. Aquaviva recusat Archiepiscopatum Neapolitanum .	88
	Congregatio Generalis VI	90
	Nova Domicilia — Provincia Toletana	92
	P. Thomas Garnetus neci datur in Anglia	93
	Crimina P. Nobilio objecta in Madura	96
	Progressus in Philippinis — In Sinis nova perturbatio .	100
	Japonum ob Christi fidem mira fortitudo	104
	In Africa, Regis Toræ, aliorumque pietas	105
	Quo statu res in Monomotapa, in Mexico, in Paraquaria.	106
	Expeditio in Araucanos, et ad Brasilos Maranonios . .	109
	P. Pintus crudeliter mactatur	111

Annus.		Pagina.
1609	Ignatius inter Beatos collocatus	112
	Communio generalis Romæ instituta, et propagata . .	114
	Missio Constantinopoli restituta	116
	Societas Cadomi, Silvæducis, Ruremondæ, Firmi, Stabiæ, Molfeti	117
	P. Rozus, Cranganori Archiepiscopus	119
	Brachmanes septuaginta convertuntur, etc.	120
	In Sinis, excursio P. Catanei, cum Paulo, Mandarino.	121
	In Japonia, pueruli martyres duo	122
	Mors P. Organtini, qui infantes expositos etc. collegerat.	124
	Religio in Montibus Leænæ — et Toræ in Guinea . .	125
	Deserenda Urbs in Tucumania — Servitium personale in India	126
1610	Luctuosa mors Henrici IV — Patres de Regis nece accusati, et defensi	130
	Turbatur Constantinopolitana domus	133
	P. Personii utiles libri, et ejus mors.	134
	Urgentur accusationes P. Nobilii — Res Mogolis, et Sinæ	136
	Obitus P. Matthæi Riccii — P. Alexii virtutes et mors .	140
	Ad fidem adductæ gentes in America	142
	Collegium Assumptionis in Paraguaia — Namurcense in Belgio.	143
1611	Vexatio Societatis recrudescit in Gallia	144
	Bohemica procella — Nova domicilia	145
	Neapoli Congregatio Clericorum sæcularium	149
	In Japonia Sodalitium S. Sacramenti — et coorta persecutio	150
	Sinensium Astrologorum error utilis religioni. . . .	151
	Nankini, primum vero Deo templum	153
	Sinensium Christianorum mores — Baptismi Formula — Aditus in Provinciam Chekiamensem.	154
	Angustiæ religionis in Æthiopia	156
	Revocati PP. in Tucumaniæ Urbem S. Jacobi — Vocati in S. Fidei	158
	Exculti Paranenses et Guaicuræi — Oppidum Ignatianum	159

Annus.		Pagina.
	Insulis Chileni Maris providetur	160
	P. Ferrerius a barbaris mactatur	161
	Initium Missionis Canadicæ, apud Hiroquœos et Hurones	162
1612	Missio in Bosniam — in Valachiam, Ukraniam, etc. .	164
	Excursio in minorem Tartariam, in insulas Pantalariam, Chium, Naxus.	167
	Aliquot Collegiorum sors	170
	Provincia Belgica in duas divisa, — Rex Galliæ . . .	171
	In Sinis Xaocea pulsi PP. — Fr. Mendezius	172
	In Japonia religionis vexatio — Sodalitas Martyrum . .	174
	Conversi populi Philippinarum et Abyssinus princeps .	177
	PP. Barreiræ, Arandæ, Vecchii, et Montalbani labores et mors	179
1613	In Anglia PP. Blacfanus, Percegus, Muffettus. . . .	181
	E Canada Societas ab Anglis ejecta — Novæ domus . .	186
	Victoriæ de hæresi reportatæ — Missio Constantinopoli.	189
	Controversia de Indicis ceremoniis ingravescit . . .	191
	Pax in Mogole composita — In Sinis diversa religionis sors	193
	P. Valdivia in Perua barbaros a servitio liberat . . .	194
	Pauli V litteræ ad Imperatorem Æthiopiæ	195
	Martyres plures in Japonia.	196
1614	P. Francisci Suaris liber ab Anglis exustus	198
	P. Laythwayti pericula.	201
	Qualis sit Anglicanorum Episcoporum jurisdictio . .	203
	P. Ogilbæi fortunata mors	204
	Hibernia lustratur et excolitur.	207
	Missio Quinquecclesiensis et aliæ.	209
	Insignes quidam hæretici conversi	210
	Domicilia fundata — Progressus in Philippinis . . .	212
	In Æthiopia disputatio celebris — Res Paraguariæ . .	213
	Expulsi Meaco Socii — Fortitudo Martyrum	215
	Episcopi Japonensis obitus — P. Mesquitæ mors. . .	218
1615	Sociorum numerus ac status in Japonia.	220
	Legatio in Babyloniam, ejus occasio, et exitus . . .	222

Annus. Pagina.

Missio in Mongreliam et ejus infelix exitus 226
» in Cocincinam, — incolarum mores 229
De P. Nobilio testimonia summorum virorum . . . 233
In Mogolis aula tres principes baptizati 234
Japoniæ tristis sors — Incendium Ozacæ 235
Exules e Japonia appellunt in Philippinis 237
Justi Ucundonis mors 238
Paraquariæ, et Chilensis regni status 229
Brachium S. Francisci Xaverii Romam defertur . . . 240
Expeditiones in Hibernia, Gallia, Ægeo mari — Domicilia excitata et aucta. 241
Obitus R. P. Claudii Aquavivæ 243
Congregatio generalis VII — P. Mutius Vitelleschus . . 244
Viri illustres qui hoc tempore vixerunt. 246

INDEX

TOTIUS OPERIS ORDINE ALPHABETICO

PERSONARUM MAXIME ET LOCORUM.

N. B. Numerus **romanus** Tomum; **arabicus** vero Paginam designat.

Numerus romanus non expressus censetur idem ac præcedens.

A

ABULENSIS Collegii initia. I. 231.

ACENI in insula Sumatra, ingenti clade afficiuntur Xaverii precibus. I. 107.

ADAMUS, Chaldæorum Patriarchæ Archidiaconus, Patres decipit. IV. 222. et seq.

ADRIENSIS, in Italia, Collegii dura initia. IV. 66.

ÆGEI maris insulas varias Patres perlustrant. III. 158, 196. IV. 169, 242.

ÆTHIOPIA. Regionis descriptio. I. 252.

P. Joan. Nunnius Barrettus Patriarcha designatus, cum Carnerio et Oviedo adjutoribus. 253.

Imperatoris animus parum favere dignoscitur. 255.

Oviedus admissus ab Imperatore. 256.

Sed ab ejus successore in asperam solitudinem relegatus. II. 37.

Nunnio Patriarchæ succedit. 182.

Emmanuel Fernandius Patriarcha. 284.

Sociorum varia sors. III. 200.

P. Georgius Abrahamus a Mahumetanis occiditur. III. 201.

Patres a Turcico præfecto introducti. IV. 18 et 19.

Actum est de ineunda cum Romano Pontifice concordia. 84.

Vexationes dissipatæ, et laboribus campus apertus. 156 et 157.

Imperatoris frater a schismate revocatur. 178.

Multi proceres schisma abjurant. 195.

Disputatio cum Abuna, antistite schismatico, coram Imperatore. 214.

AFRICA. Societatis primus ingressus. I. 135.
Expeditio a Patribus suscepta. 155.
Bis infausto exitu tentatur. II. 32 et 33.
Excursiones non sine fructu suscipiuntur. 260.
Quæ de hac regione, sicuti de aliis consequentibus, in operis decursu magis particularia referuntur, hæc propriis locis recensita reperientur.
AGINNENSIBUS, in Gallia, Socii aliquot conceduntur. III. 71.
Collegium exsurgit. 151.
ALANUS (Guillelmus) nobilis Anglus, patria pulsus, Seminarium Anglorum Romæ erigendum curat. II. 315 et seq.
ALBENACI, in Gallia Collegium. III. 164 et 292.
P. Jacobus Salesius, cum socio, occisus est a Calvinianis. 168.
ALEPPI Patres cum Chaldæis conferunt. III. 74.
ALETII, in Veteri Calabria, domus. II. 267.
Quæ in Collegium conversa est. 315.
ALEXIUS (P. Joannes Paulus) inter Cafros vitam suam generose sacrificat. IV. 141.
ALGUERRIENSIS, in Sardinia, Collegii origo et initium. III. 71 et 133.
ALMEIDA (P. Ludovicus) in Japonia. II. 105 et seq.
ALMONECIDAM, in Castella Nova, Societas ingreditur. III. 188.
ALOYSII Gonzagæ (Sancti) mors et eximiæ virtutes recensentur. III. 184 et seq.
ALPINIS in vallibus Sociorum ministerio devicta est Calviniana hæresis. III. 306.
ALSOLINDUÆ, in Superiori Hungaria, fructuosa missio. III. 158.
Denuo cum fructu suscipitur. IV. 167.
ALVARUS (P. Vincentius) Goam petens a Mahumetanis cæsus est. IV. 59 et 60.
AMANGUCI, in Japonia, amissum Societatis domicilium. I. 267.
AMBIANENSE Collegium perficitur. IV. 73.
AMBOINA insula a Xaverio exculta. I. 95.
Præclarum fidei specimen editum ab incolis. 101.
AMERINI, in Umbria, Collegii sors. II. 177.
ANCONITANUM Collegium. III. 244.

ANECIENSE Collegium. III. 223.
ANGLIA. Religionis status, ab Henrico VIII. II. 311 et seq.
Societatis ingressus, restituto ab Elisabeth schismate. 313.
Persecutionis rabies desævire incipit. III. 3.
Carceres, tormenta, et mors in multos Patres intentantur. 4 et seq.
Persecutionis continuatio. 39 et seq. et 62.
Patres duo a Fide et Religione deficiunt. 63.
Novi martyres. 159, 160, 190, 231 et seq.
Triste dissidium sacros ministros dividit. 239.
Patres iterum cruciantur et necantur. 287 et 300.
Jacobus Rex novas leges in Religionem fert. IV. 37.
Pulveraria conspiratio. 50.
Patres nefarii illius criminis accusantur. 51 et seq.
Fidelitatis juramentum a Pontifice reprobatum proponitur. 66.
A Blakvello Archipresbytero extorquetur. 67.
Rex illud scriptis defendit; sed refutatur a Bellarmino. 68.
Continuantur vexationes et cruciatus. 68 et seq. et 134.
Celebris P. Percevi cum doctore hæretico, et cum Rege ipso de Religione concertatio. 184.
ANGOLANO in regno Sacerdotes postulantur et deinde a labore impediuntur. II. 35 et seq.
Religio triumphat. III. 22.
Incolæ P. Balthasaris Barreiræ precibus mire devicti sunt. 57.
ANGRÆ, in insula Tertia, Collegium fundatur. II. 221.
ANCHIETA (P. Josephus) in Brasilia. I. 225 et seq.
ANTICARIÆ, in regno Granatensi, Collegium. III. 259.
ANTVERPIÆ domicilii initium. II. 115.
Dispersum collegium et vastatum. 159.
Ædes conceduntur ampliores. 265.
Iterum dispersi PP. Antverpienses. 298.
Reducuntur in Collegium a Duce Parmensi. III. 84.
ANZUQUIAMA, in Japonia, domus et Collegium. III. 26 et 27.
Urbs direpta et incensa. 32.
Bonzii duo mirabiliter convertuntur. 33.
APAMIENSE, in Occitania, Collegium adversantibus licet hæreticis, a P. Augerio obtinetur. II. 57 et 58.

AQUAVIVA (P. Claudius). Præpositus Generalis Societatis renuntiatur. III. 2.
Sixti V animum Instituto nostro reconciliare tentat. 128.
Rectoribus considerationis horam imponit. 129.
Ejus litteræ. 130.
Perturbatores oppugnat. 155.
Istorum postulata in Cong. V. rejiciuntur. 166.
Archiepiscopatui se subtrahit. IV. 88.
Onus visitandi Hispaniam declinare apud Pontificem frustra tentat. 89.
Moritur. 243 et 244.
AQUISGRANO Socii discedere coguntur. III. 133.
Revocantur. 274 et IV. 188.
AQUITANIÆ Provincia constituitur. II. 126.
Dividitur in duas. III. 49.
ARAGNENSIS in Vallesia Societatis sedes collocata. IV. 73.
ARANDA (P. Martinus) in regno Chileno occisus. IV. 180.
ARAOZIUS (Antonius) inter Socios adscriptus. I. 36.
Ejus merita. 37.
Præclari in salutem animarum labores. 59 et 60.
ARAUCANORUM in Chileno regno expeditio tentata. IV. 109.
ARBORENCE in Sardinia seminarium Societatis curæ committitur. IV. 148.
AREVALENSE in Hispania Collegium. III. 122.
ARIAM in agro Atrebatensi vocatur Societas. IV. 188.
AGRIAM in Hungaria ab Hæresi purgat. II. 292.
ARIMÆ Regis conversio, in Japonia, Religionem promovet. II. 272.
Post mortem ejus filius rem Christianam perturbat. 282.
Convertitur opera P. Valignani. 319.
Reginæ conversio et insignis victoria de hoste reportata. III. 25.
Solemnis ad Romanum Pontificem legatio instituta. 34 et seq.
Rex martyr occubuit scelesti filii opera. IV. 176.
Christiani igne cruciantur. 196 et 197.
ARONÆ a S. Carolo Borromæo domus Probationis posita. II. 131.
ARRACANO in regno domus constructa Sociis. III. 293.
Sed parum firmus religionis status. IV. 26.

ASCULANUM in Piceno Collegium. IV. 148.
ASSISTENTIÆ in Societate quid sint. I. 26.
ASSUMPTIONIS Collegium in Paraquaria. III. 172.
ASTIGITANI in Hispania Socios aliquot accipiunt. III. 71.
Collegium oritur. 171.
ATAIDII (Antonii) Comitis Castenerii in Xaverium liberalitas. I. 45.
ATLANTICI maris varias insulas excolunt Patres. II. 164 et seq.
ATREBATENSE Collegium. III. 258.
AUDOMAROPOLI Collegium fundatur. II. 160.
Anglorum Seminarium accedit. III. 171.
Pestilentia plures Socios absumit. 209.
AUGENSE in extrema Normannia Collegium creatus. III. 2.
Seminarium Anglorum accedit opera P. Personii. 13.
Novum Collegium. IV. 92.
AUGERIUS (P. Edmundus) Turnonii conciones habet. II. 61 et 71.
A Calvinianis captus magnum subit vitæ discrimen. 96 et seq.
Tolosæ quadragesimales habet conciones. 157.
Lugdunum consiliis suis ab hoste servat. 187 et seq.
Primus regii concionatoris munere fungitur. 189.
Milites animat contra invadentes Calvinianos. 202.
E Gallia revocatur ne vitæ discrimen subeat. III. 96.
AUGUSTÆ Ausciorum in Vasconia Collegium traditur. III. 132.
AUGUSTÆ Vindelicorum comitia adeunt P. Canisius cum Sociis.
II. 38 et seq.
Collegium fundatur adversantibus licet hæreticis. 41.
Comitia celebrantur. 152 et 153.
AUSTRIÆ Provincia a Germania Superiore separatur. II. 111.
AUXILIIS (de) divinæ gratiæ controversia exorta. III. 177 et 178.
Renovata controversia est. 253.
Controversiæ epocha secunda. 270 et seq.
Tertia epocha. 312.
Finis totius controversiæ. IV. 87.
AVENIONEM societas accersita. II. 126.
Domus probationis fundatur. III. 132 et 293.
AZEBEDIUS (P. Ignatius) cum Sociis suis ab hæreticis interceptus
cæditur. II. 219 et seq.

B

BADENSES ab hæresi revocantur opera P. Georgii Schoritii. II. 234.
BÆTICA provincia constituitur. I. 249.
BAII doctrina Lovanii prodit. III. 151.
BALDUINUS (P. Guillelmus) in Anglia captus, omnes accusatorum artes eludit. IV. 70.
BAMBERGÆ, in Germania, collegium. IV. 148.
BANDINII (Francisci) Archiep. Senensis de Sociis encomium. I. 39.
BARCINONENSE collegium. I. 59.
BARIENSE, in Apulia, collegium. III. 67.
BARREIRÆ (P. Balthasaris) in Guinea labores et mors. IV. 179.
BARRULANUM, in Italia, collegium. III. 164.
BARZÆI (P. Gasparis) labores in India. I. 129 et seq.
BASTIÆ in insula Corsica collegium. III. 307.
BATAVICÆ missionis initia. III. 155 et 156.
BAZAINI, in India, collegium admittitur. I. 130.
Superstitio a Patribus impeditur. II. 68.
BEATISSIMA Virgo S. Ignatio apparet. I. 4.
BEIRÆ (Joannis) in India pericula. II. 29.
BELGIUM. Societatis in eo initium. I. 55, 56 et 171.
Regia auctoritate admittitur. 250, 263.
Hæretici tumultus excitati. II. 89, 115, 146, 159, 193, 215, 265, 297.
Status prosperior. III. 2, 18, 65, 84, 96, 109.
Missiones Castrenses. 110.
Plures e Patribus ab hæreticis occisi sunt. 208, 275 et 276.
Duplex Provincia constituitur. IV. 171.
BELLAIUS (Eustachius) Parisiensis Antistes adversatur. I. 170.
BELLARMINUS (P. Robertus) in urbe Lovaniensi. II. 215 et 216.
Liber ejus de Romano Pontifice in indicem relatus. III. 143.
Sed mox expunctus. 144.
In Galliam cum Legato mittitur. 145.
In Cardinalem cooptatur. 254 et seq.
Scribit contra juramentum fidelitatis in Anglia præstandum. IV. 68.
Ejus sententia in quæstione de ritibus Madurensibus. 195.

BELMONTENSE, in Hispania, Collegium. II. 23.
BENEVENTI statio posita est. III. 69.
Et domus Professorum. 244.
BENGALANUM regnum socii adeunt. III. 245.
Franciscus Fernandius ibi necatur. 309 et 310.
BERGIS S. Winoci Collegii initium. III. 258.
BIBLIA ab hæreticis corrupta. IV. 115 et 116.
BIBURGENSIS, in Germania, residentia. III. 171.
BILBAI seu Flaviobrigæ collegium. IV. 23.
BILBILITANI Lyceum obtinent. IV. 71 et 293.
BILLOMENSE collegium. I. 244. Restituitur. IV. 24.
BISNAGAR Regnum Indiæ Patres elaborant. III. 249.
BISUNTINUM in Burgundia collegium. III. 239.
BITERRENSE Collegium. III. 259.
BITICENSE Collegium. II. 272.
BITURICIS Collegium positum. II. 272.
Patres pestilentia exercentur. III. 49.
Collegium restituitur. IV. 24.
BLACFANNUS (P. Joannes) in Anglia impactam calumniam diluit, et carcere liberatur. IV. 182.
BLOSII (Ludovici), Lætiensis Abbatis, de Societate judicium. I. 171.
BOBADILLA (P. Nicolaus) Ignatio se conjungit. I. 10.
Fructuosi ejus in Germania labores. 64 et 65.
Inter milites. 76.
Edicto *interim* dicto se opponit. 125.
Laborum summa et mors. 126.
Domesticas turbas excitat, sed comprimitur. II. 2 et 3.
BOHEMIÆ pericula ab Hussitis procreata. IV. 146.
BOHOLANÆ in Philippinis insulæ puerorum institutio suscipitur. III. 81.
BONONIÆ Collegium natum. I. 93.
Et stabile domicilium. 104.
Doctoris gradus a Patribus in Academia suscipitur. 142.
BONZIORUM in Japonia divitiæ. I. 150.
Errores a Xaverio confutantur. 152.
Conatus in Religionem. 200 et seq.

BOSGRAVIUS (P. Jacobus) in Anglia, in vinculis detinetur. II. 323.
BOSNIENSIS missio suscepta. III. 156.
Redintegrata cum periculis. IV. 164 et 165.
BRACARENSIS Archiepiscopus Societatis Collegium postulat. II. 44.
BRACHMANES in Indiis, a Francisco Xaverio doctrina et miraculis refutantur. I. 67.
BRANSBERGÆ Collegium et puerorum contubernium. II. 126.
BRASILIA. Situs. I. 139. in eo labores et pericula. 141, 177 et seq.
Proprium Provincialem obtinet. 225.
Petri Correæ et Joannis Sosæ sanguine aspersa. 257.
Calvinianorum conatus. II. 31.
Socii in itinere intercepti occiduntur. 227.
Collegium in S. Sebastiano. 254.
Sociorum excursiones. 261 et seq.
Turbæ a Mameluchis excitatæ. 269.
Labores in ora Bahiensi et in monte Barim. III. 24.
Christiani ritus ab ethnicis simulatione adhibiti. 89 et seq.
Carigii componuntur ad pacem et convertuntur. 219 et seq.
Servitus prohibetur. 234.
BRESTANA synodus pro revocandis a schismate Ruthenis habita. III. 185 et 186.
BRIANTUS (Alexander) in Anglia ferociter torquetur. III. 7 et seq.
Societati dat nomen et fortiter moritur. 8 et 9.
BRIATIENSE in Hispania Collegium. III. 171.
BRIGANTIÆ Societatis domicilium. II. 45.
BRILMAKER (P. Michaël) in Germania veneno sublatus est. III. 192.
BRIXIÆ Collegium oritur. II. 177 et seq.
Nobilibus Seminarium additur. IV. 25.
BROETUS (P. Paschasius) in Socium admittitur. I. 12.
In Hiberniam mittitur. 50.
Primus Italiæ Provincialis ab Ignatio præponitur. 186.
Electionis P. Lainii in Generalem Præpositum decretum in Congregatione recitavit. II. 16.
Mors ejus et encomium. 99 et seq.
BRUGIS, in Flandriæ Comitatu, Collegium excitatum. II. 265.
BRUNIÆ, in Moravia, domus Probationis et Collegium fundatur. II. 254.

BRUNSBERGÆ Seminarium. II. 308.
BRUNTRUTANUM Collegium, III. 145.
BRUXELLIS Lainius utiliter multa tractat. II. 89.
Collegium stabilitur. III. 110.
Missionum Castrensium opus. Ibid.
BUNGO, in Japonia, splendidus Religionis ingressus. I. 201. et seq.
Sanatio miraculo operata. II. 185.
Religionis cursum Regina impedit. 270 et seq.
Rex Baptismum suscipit. 302 et 303.
Societas Collegium et domum Probationis obtinet. 304.
Patres ejiciuntur. III. 92.
Rex junior cum familia sua baptizatur. 101 et 102.
Parentis ejus virtutes et singularis pietas. 103 et seq.
Filius a fide deficit. 134.
Sævit in Christianos. 135 et seq.
Revertitur ad fidem. 154.
BURDIGALÆ Collegium. II. 237.
Provincia ab Aquitania separatur. III. 49.
Societas expellitur. 132.
Restituitur. 209.
BURGENSE Collegium, in Hispania, excitatum. I. 187 et III. 66.
BUZOMIUS (P.) se accingit ad Concincinæ missionem, et eam magno cum successu aggreditur. IV. 230 et 231.

C

CADOMI, in Gallia, Collegium a Rege Henrico IV creatum. IV. 117.
CÆSARAUGUSTÆ, aditus Societati apertus. I. 94.
Collegii vicissitudines. 237.
Tempestas in Socios exorta. 238.
CAFRORUM Christiana institutio suscepta. II. 34.
CALARITANUM, in Sardinia, Collegium. II. 127 et III. 244.
CALATAJERONÆ in Sicilia Collegium. II. 255.
CALATANISSETUM domicilium et collegium. III. 133, 184 et 274.
CALECUTI, Societatis primordia. III. 235 et 245.
Stabilitur, et Malabaricas depellit superstitiones. 295.
CALISSIENSE in Polonia Collegium. III. 67 et 239.

CAMBERIENSE Collegium. II. 126, 235 et III. 258.
CAMENECENSE Collegium. IV. 92.
CAMERA (P. Ludovicus de) Sebastiani Lusitaniæ Regis moribus formandis præponitur. II. 147 et seq.
CAMERACENSE Collegium. II. 115.
CAMPIANUS (P. Edmundus) Angliam occulte ingreditur. II. 321.
Libellum de decem rationibus a se compositum spargit. III. 3.
Proditione captus torquetur. 4 et 5.
Falsa et probrosa accusatione damnatur, fortiter moritur. 6.
Vitæ compendium. 9 et seq.
CANADICÆ missionis initium. IV. 162 et seq.
Societas ab Anglis expellitur. 186 et 187.
CANARIAS insulas ingrediuntur Patres. III. 174.
CANISIUS (P. Petrus) Coloniæ utilem impendit operam. I. 73 et seq.
Ingolstadiensis Academiæ Rector creatur. 143 et 144.
In Austria strenue se hæresi opponit. 190 et seq.
Catechismus ejus editur. 251.
Adest Comitiis Augustanis. II. 38.
Et in OEnipontano conventu. 113.
Promulgando per Germaniam Tridentinum Concilium allaborat. 114.
Magdeburgenses centurias suscipit refutandas. 231 et seq.
Plurium Collegiorum primordia promovet. 330 et 331.
CANUS (Melchior) in Societatem invehitur. I. 116 et seq.
CAPRALIS (P. Franciscus) Japonicæ Provinciæ Præpositus varias tentat excursiones. II. 256.
CARILLIUS (P. Alphonsus) in Transsylvania Episcopatum in alium transferri curat. III. 206.
CARNERIUS (P. Melchior) Japoniæ et Sinarum Episcopus. II. 201.
CAROLI (S.) Borromæi cum Patribus familiaritas. II. 129.
Mediolani Societatem promovet, variaque erigit domicilia. 131.
CARPENTORACTENSE in Gallia Collegium. IV. 73.
CARTHUSIENSIUM in Societatem propensa voluntas. I. 57.
CASORLENSIS, in Vandalitia, Collegii ortus. III. 151.
CASSOVIÆ, in Hungaria, Societas consistere non permittitur. IV. 23.
CASTILIONENSE, in Gallia Cisalpina, Collegium. IV. 92.

CASTRENSES variæ missiones. III. 110, 152.
CASTRO (P. Alphonsus de), Ternatæ in Molucis, a Mahumetanis occisus est. II. 30.
CATACENSE Collegium. II. 127.
CATESBYUS pulverariæ conjurationis in Anglia executor, ejusque cum Patribus communicationes. — Ejus mors. IV. 51, 52.
CELEBIS (in Insula) religionis status. II. 110.
CEYLANUM insula exculta. I. 132 et seq.
Stationes positæ in Columbo, Chilao et aliis locis. III. 197 et 508.
CHALDÆOS reducendi tentamen inutiliter susceptum. III. 74.
Legatio ad eos suscepta. IV. 222 et seq.
Infaustus exitus 226 et seq.
CHAQUIAVENSE, in Perua, Collegium. III. 30.
CHEKIAMENSIS in Sina provincia, religioni aditum præbet. IV. 156.
CHICIMECÆ, missione exculti, in Mexico. III. 89.
CHILENI maris laboriosa missio periculis plena. IV. 161.
CHILENSI in Regno Collegium erigitur. III. 171.
Seminarium nobilium. IV. 157.
Tres Patres a Dynasta occisi sunt. 180.
Varia domicilia collocata, et servi manu asserti. 195.
CHIOS, insula, P. Vincentii Castaneolæ opera excolitur. III. 158.
Stabilis sedes in ea figitur. 196.
Auxilium præstitum. IV. 169.
CHORUS in Societatem introducitur. II. 18. — Ejus cessatio. 19.
CIANDECANUM Patres invitati, ædes, templum. III. 246.
CINALOENSIS in Mexico stabilis sedes. III. 171.
Populi conversi. IV. 142.
CINALVAM in regno Mexicano Evangelium penetrat. III. 152.
CLAGENFURTI in Carinthia Collegium. IV. 24.
CLAUDIOPOLI Collegium et Seminarium. II. 306.
Societas pellitur. III. 248 et seq.
Collegium et templum vastatur cum Sociorum strage. IV. 7 et seq.
CLEMENS VIII, Pontifex Maximus, Congregationem Generalem jubet indicendam. III. 155.
Et singulis sexenniis convocandam. 166.
Relinquit rem judicio PP. Procuratorum. 272.

CLEMENTIS (in Urbem S.), in Castella nova, ingressus. IV. 188.
CLERICORUM sæcularium Congregatio, opera P. Francisci Pavonii instituta, ejusque fructuosi labores. IV. 149 et seq.
COCINCINÆ Religionis status et missio suscepta. IV. 229.
Incolarum mores et lingua. 231 et seq.
CODRETTUS (P. Ludovicus) Anecii religioni succurrit. II. 54.
Fortitudo ejus inter hæreticos. 59 et seq.
CODURIUS (P. Joannes) Sociis adjunctus. I. 12. Ejus mors. 42.
COLINUS (P. Dominicus) in Hibernia suspendio necatur. III. 302.
COLLEGIA Societatis. I. 23.
Qualis sit adolescentium institutio. 91.
COLLOQUIA varia cum Protestantibus instituta. II. 10 et seq.
COLONIÆ primi nostrorum labores. I. 54 et 56.
Societas impedita et religionis pericula. 74 et seq.
Collegium conditum. 266.
COMMOTOVIUM, in Bohemia, Societas accita. III. 133.
Collegium vastatum. 151 et IV. 147.
COMMUNIONIS generalis institutio et propagatio. IV. 114 et 115.
COMPLUTI Ignatius falso accusatur. I. 7.
Collegii initia. 59. Amplificatur. 123. Villa. II. 25.
COMPOSTELLANUM Collegium. II. 286.
COMUM (novum Comum), Collegium obtinet. II. 56.
CONCHENSE Collegium. I. 246.
CONFLUENTINUM Collegium. II. 331.
CONGO, in Africa, Regni facies. I. 136.
Patres benigne admissi. 137.
Regis mutatus animus et Socii expulsi. 138 et 139.
CONGREGATIO generalis : ejus potestas. I. 29.
Prima differtur. II. 1. Celebratur. 15 et seq.
Secunda indicitur. 134. Celebratur. 137 et seq.
Tertia celebratur. 251.
Quarta indicitur. 335. Celebratur. III. 1.
Quinta jussu Clementis VIII celebratur. 165. et seq.
Sexta per Procuratores decernitur celebranda. IV. 90 et seq.
Septima mortuo P. Aquaviva celebratur. 244 et seq.
CONGREGATIO Procuratorum prima celebrata. II. 192 et seq.

CONIMBRICENSE Collegium. I. 44 et 58.
Academiæ pars Societati traditur. 121.
CONSCIENTIÆ ratio reddenda. I. 29.
CONSENTINUM, in Provincia Neapolitana, Collegium. III. 133.
CONSTANTIENSE, in Germania, Collegium. III. 164.
CONSTANTINOPOLITANA missio suscepta. III. 52.
Redintegrata opera P. Cotoni. IV. 116 et 117.
Perturbationes et difficultates. 133.
Auxilium ab aliis Religiosis allatum. 191.
CONSTITUTIONUM Societatis synopsis. I. 29 et seq.
Laus et promulgatio. 30 et 31.
COPHTORUM Pseudopatriarcha Patres decipit. II. 82.
Iterata missio. III. 56.
Obstinatus in erroribus animus. 76 et seq.
CORDUBÆ Collegium. I. 230.
CORDUBÆ NOVÆ fides propagatur et domicilium ponitur. III. 286.
CORNELIUS (P. Joannes) in Anglia interceptus necatur. III. 178.
CORREA (P. Petrus) in Brasilia a Carigiis interficitur. I. 257 et 258.
CORSICAM per insulam morum mutatio a Patribus inducta. I. 207.
Calumniæ obortæ. 208.
CORTRACI Collegium. III. 66 et 96.
COSTERUS (P. Franciscus) Belgicæ Societati præpositus. II. 147.
COTONUS (P. Petrus) Henrici IV conscientiæ moderator, Romanam purpuram declinat. IV. 5 et 6.
Graviter a Calvinianis vulneratur. 21.
Libellus Anticotonus in ipsum scriptus. 133.
COTTAMUS (P. Thomas) in Anglia interceptus. II. 323.
Crudeliter torquetur et tandem necatur. III. 40 et seq.
CRACOVIÆ domus Professorum cum templo, et domus Probationis condita. III. 66.
CREMBSIVII domus attributa. IV. 171.
CREMONÆ novum oritur domicilium. III. 184.
Collegium aperitur. 274.
CRIMINALIS (P. Antonius) primus pro Christo cæsus, a Sarracenis in India. I. 145.
CRUMLOVIÆ in Bohemia Collegium. III. 84 et 123.

D

DAIFUSAMA, Japoniæ Imperator, initio favere videtur. III. 299.
Regulorum persecutiones non impedit. IV. 14 et seq.
Sed mox novis beneficiis compensat Christianos. 28.
Propter inconsideratas voces magnam subit animi mutationem. 40.
Sibi tamen ipsi moderatur, novasque dat benevolentiæ significationes. 80.
Occasionem dat persecutioni. 103 et 104.
Odium auget publicus Christianarum pomparum apparatus. 151.
A Batavorum navarcho excitatus aperte sævit in Christianos. 174.
Novi ad sæviendum stimuli. 236.
DAMANENSIS in India Collegii initium. II. 38.
DECANI regni, septem principes baptizantur. III. 264 et seq.
DERPATI, in Livonia, Collegium. III. 83.
Clades nostris illata. 291.
DIA, Delphinatium civitas, ab errore purgata. IV. 241 et 242.
DIAMPERÆ in India synodus habita ad reducendos a Nestorianismo Thomæos. III. 263.
DILINGANA academia Societati tradita II. 112.
Possessio confirmata. IV. 73.
DIMISSIO a Societate. I. 26.
An alimenta præbenda post demissionem? III. 238. IV. 245.
DIONANTI Collegium. IV. 92.
DIUM in insulam Societas introducta. III. 276.
DIVIONENSE, in Gallia, Collegium. III. 2. Restituitur. IV. 7.
DOLANUM Collegium II. 317 et III. 66.
DOMENECCI (P. Hieronymi) in Sicilia labores. I. 102.
DONALDUS (P. Edmundus) in Hibernia occisus. III. 12.
DREPANITANUM in Sicilia Collegium. II. 333.
DUACI Collegium. II. 194.
Lis cum Parochis circa jura parochialia a Clemente VIII dirimitur. III. 165.
Scoticum Seminarium a Crittonio transfertur. 170.
DU PRAT (Guillelmus) Claromontanus Episcopus Societatem in Gallia suscipit promovendam. I. 168.

E

EBORENSE Collegium. I. 189 et seq.
ECHINADES ad insulas in navali pugna Patrum opera. II. 221 et seq.
EKENDONI Japonensis Dynasta, castellum religioni præbet domicilium. I. 174 et 175.
ELBINGANI cives ab hæresi revocantur. II. 179.
ELVENSE in Lusitania Collegium. IV. 25.
EMERSONUS (P. Rudolphus), in Anglia, post diuturnam carceris custodiam exilio damnatur. IV. 8 et 9.
ENSISHEMIENSE Collegium. IV. 24.
A Maximiliano Austriæ Archiduce fundatur. 243.
EPISCOPORUM Anglicanorum jurisdictio qualis sit. IV. 205.
ERFORDIENSE in Thuringia Collegium. III. 84.
ESSENDIÆ, in Germania, difficilis labor. IV. 166.
ESTHONIÆ, in Livonia, missio suscepta. III. 157 et 261.
ETRUSCA Provincia a P. Lainio constituta. II. 22.
EXERCITIORUM spiritualium libelli compositio. I. 5.
Solemnis approbatio. 110.
Commendatio. 112 et seq.
EYSTADIUM, in Bavaria, Societas ingreditur. IV. 188.

F

FABER (P. Petrus) Ignatio Socius adjunctus. I. 9.
Novos Socios ipse aggregat. 12.
Romæ in Gymnasio Sapientiæ docet. 15.
Wormatiam mittitur. 39.
Spiræ Moguntiæ et Coloniæ fidem propugnat. 53 et seq.
Lovanii morbo corripitur. 54 et seq.
Concilio Tridentino destinatur. 77.
Romæ moritur. 79.
FACATÆ in Bungi regno exorta turbatio, et Patres in magnum periculum adducti. II. 14.
FEMINARUM cura a Societate amandata. I. 90.
FERNANDES (P. Emmanuel) in Lusitania a sicariis cæsus. I. 259.

FERNANDIUS (P. Emmanuel) Æthiopiæ Patriarcha. II. 284.
FERNANDIUS (Joannes) Xaverii adjutor. I. 199.
Mors ejus et encomium. II. 185 et seq.
FERRIERI (Jeremias) a Calviniana hæresi revocatus. IV. 211 et seq.
FINGI Rex Cazugedonus in Christianos sævit. IV. 14 et seq.
FIRANDI, (in Japoniæ insula) Religio Christiana Bonziorum furore turbatur. II. 12 et seq.
Novæ vexationes. 185.
Patres quinque veneno sublati. III. 162.
FIRMANUM in Piceno Collegium. IV. 118.
FLEXIÆ, in Agro Andegavensi, a Rege Henrico IV domus donatur. IV. 5.
Huic centena aureorum millia assignat. 35.
Et cor suum post mortem donari vult. 129.
FLORENTIÆ Collegium. I. 185.
FLORIDA a Patribus visitata. II. 171 et seq.
Socii octo insidiose necati. 225 et seq.
FOROLIVII Collegium. II. 23.
FRANCISCUS Borgias (S.), Gandiæ Dux Societatis Collegia promovet. I. 93.
Societatis ineundæ consilium, litteræ ad Ignatium scriptæ. 94.
Votis emissis se illi conjungit. 109.
Libellum Exercitiorum approbari a Pontifice curat. Ibid.
Romam se confert. 157 et seq.
Honores fugiendi gratia Hispaniam repetit. 161.
Hispaniæ et Lusitaniæ Commissarius præficitur. 188.
Ex Ognatensi recessu ab Ignatio excitatus, Hispaniam percurrit magno Religionis emolumento. 232 et seq.
Paupertatis sectandæ studium. 248.
Primæ Generali Congregationi non interest. II. 4.
Apud Carolum V Societatem defendit. 5 et seq.
Ejus testamenti curator designatur. 10.
Calumniis affligitur. 47 et seq.
Romam vocatur. 49.
Generalis Vicarius designatur. 134.
Generalis Præpositus eligitur. 137 et seq.

Legationem obit ad Hispaniæ Lusitaniæque Principes. 223.
Æger redit, brevique succumbit. 238. Virtutes ejus. 241.
FRANCISCUS Xaverius (S.) Eximia ejus indoles. I. 9.
Ab Ignatio contra hæreseos pericula munitur, ei se associat. 10.
Missio in Indiam. 34.
Eò proficiscitur. 44.
Variæ in itinere stationes. 46.
In ora piscaria miracula patrat. 48.
Brachmanes doctrina et miraculis refutat. 67.
Labores exantlati cum Paravis et in ora Travancoridis. 70.
Illustria miracula patrata. 71 et seq.
Badagas in fugam agit. 83.
Meliaporam invisit. 84.
Miracula alia. 85 et 96.
Indici maris varias percurrit insulas. 95 et seq.
In Malacensi oppugnatione prodigium patrat. 107.
In Japoniam se confert. 108 et 151.
Cangoximanam puellam ad vitam revocat. 155 et seq.
Excursiones in Firandum, Amangucium et Meacum. 174, et rursus. 197 et seq.
Splendidus ad Bungensem Regem ingressus. 201.
Celebres cum Bonziis concertationes. 202 et seq.
Sinas adeundi tentamen susceptum. 216 et seq.
Mors in Sanciano. 220.
Corpus ejus manet incorruptum. 221 et seq.
Brachium ejus, jussu P. Claudii Aquavivæ Romam defertur. IV. 240.
FREXENALÆ in Bætica Collegium inchoatum. III. 259.
FRIBURGI Helvetiorum Collegium. II. 330.
FRISIAM per aliquot annos Socii occupant. II. 127.
FULDÆ Collegium. II. 233.
Et Seminarium nobilibus erectum. 234 et III. 70.
FUNCALENSE in insula Madera Collegium. II. 22.

G

GADITANI Collegii fata. II. 116.
Ab Anglis vastatur. III. 207 et seq.
GALLIA, publica auctoritate Societatem admittit. II. 77 et seq.
Rex vetat ne alienigenæ Collegiis præponantur. III. 64.
Decretum revocat. 65.
Molestiæ fœderis initi contra Calvinianos. 95 et seq.
Factionum perturbationes. 130 et seq.
Castelli facinus. P. Joannes Guignardus capite plexus et Societas expulsa. 193 et seq.
Societas revocatur. 195.
Proprius Assistens Galliæ conceditur. IV. 91.
Societas impetitur Theologicæ doctrinæ prætextu Gallicanæ Ecclesiæ infensæ. 144 et seq.
Juramentum in comitiis propositum. 201.
GANDAVENSE Collegium. III. 85.
GANDIENSE Collegium. I. 93.
P. GARNETUS (Henricus) et pulveria conjuratio. IV. 51.
Conspiratione detecta incarceratur. 52.
Vox imprudenter emissa. 53.
Damnatur et suspenditur. 54 et seq.
GARNETUS (Thomas) in suspicionem conjurationis vocatur. IV. 92.
Exilii decretum infringens captus est. 93.
Pro juramento fidelitatis damnatur et suspenditur. 94 et seq.
GEBENNICIS in montibus Patrum opera religio revocata est. III. 304 et seq.
GEDANI sedes temporaria data. III. 70.
Societas restituitur, sed precario. IV. 72.
Nova oppositio. 170.
GENUÆ Collegium. I. 244.
Domus Probationis. III. 171.
Professorum domus et domus Probationis commodior. 195.
GERARDIUS (P. Joannes) in Anglia multum torquetur. III. 231.
Elabitur opera Joannis Lillii, qui captus et cruciatus, fugit. 232.
GERMANIAM per Petrum Fabrum ingressa est Societas. I. 38.

GERMANIÆ Superioris Provincia constituta. I. 266.
GERMANICI in Urbe Collegii idea et ortus. I. 205.
GERUNDÆ in Catalaunia Lycæum. III. 2 et 258.
GIENNENSE in Bætica Collegium. IV. 148.
GIFOII (Simonis) in Japonia cum matre et uxore heroica mors. IV. 14 et seq.
GINGII in ora Coromandelia Socii templum ædificant. III. 246.
GLACENSIS in Bohemia Collegii initium. III. 259.
GOÆ Seminarium. I. 48 et 68.
Seminarium catechumenorum. 267.
Novi templi ædificatio multorum conversionem promovet. II. 64.
Conscientiæ mensa instituitur. 216.
Ethnicorum magnus numerus baptizatur. III. 309.
GOES (P. Benedictus) Catayam in Sinense imperium dirigitur. IV. 9.
A Saracenis veneno tollitur. 10 et 11.
GOMIUS (P. Antonius) Tanoris Regem, in fide instruit. I. 151.
GONDII (Henrici) Parisini Antistitis luculentum in Societatem testimonium. IV. 131 et seq.
GORDONUS (P. Jacobus) in Scotia strenue veritatem tuetur. III. 260.
GOTO, Japoniæ insula Patres postulat. II. 156.
Fructus illustres conversionum. 166 et seq.
GRÆCII in Styria Collegium institutum. II. 253.
Academia erigitur. III. 84.
Fundando Collegio et Academiæ oppidum Millestadium attribuitur. 244.
Seminarium Ferdinandæum fundatur. IV. 73.
GRÆCORUM missiones a Patribus susceptæ. II. 268 et III. 77.
GRANATÆ Collegium incœptum. I. 246.
Tempestas in Societatem oborta. II. 9.
Maurorum seditio. 211 et seq.
Collegii fundatio. 272.
GREGORII XIII Pont. Max. circa vota simplicia in Societate constitutiones. II. 176.
Institutum nova constitutione conformat. III. 68.
GREGORIUS XIV, Pont. Max. Societatem novo diplomate confirmat. III. 146.

GRODNENSE Collegium promittitur. III. 70.
GRONINGANUM Collegium apertum. III. 151.
Societas ejecta. 184.
GUADICIÆ in Regno Granatensi Collegii fundamenta posita. III. 259.
GUAICURÆOS Patres adeunt. IV. 160.
GUAXACI in Mexico Statio constituitur. III. 88.
GUIDICCIONUS (Bartholomæus), examinando Societatis Instituto a Pontifice designatus, sententiam subito mutat. I. 19.
GUINEÆ, missio repetita. IV. 29 et 30.
Reges religionem promovent. 65.
Superstitiones emendatæ et Regni Benæ fausta initia. 83 et seq.
Regis Toræ pietas et Regis Benæ apostasia. 105.
Angolani Reguli impietas punita. 106.
Eximia regum exempla. 125 et seq.
GUTTERIUS (P. Martinus) ad Cong. Generalem tendens, in Gallia cum Sociis ab hæreticis interceptus et occisus. II. 251.

H

HABITUS Societatis qualis sit. I. 22.
HÆRETICÆ variæ artes in Germania elusæ. IV. 190.
HAGENOAM ad resistendum Anabaptistis Patres introducti. IV. 23.
Gymnasium urbanum ipsis traditur. 73.
HALLÆ in Suevia Collegium. II. 233.
HARTUS (Joannes) in Anglia cum Campiano damnatur. III. 10.
Ejus constantia. 11.
Servatur et Societatem ingreditur. 12.
HEDINUM, in Artesia, Societas vocata. IV. 188.
HEILIGENSTADII in Germania Collegium. II. 266.
HELIVODIUS (P. Christophorus) in Hibernia per quadriennium in carcere detinetur. III. 261.
HENRICIUS (P. Henricus) ejusque in India labores, et cruciatus. I. 226 et seq.
Post quinquaginta annos in Punicali reperitur. III. 248.
HENRICUS II, Galliæ rex, primum diploma concedit quo Societas admittatur. I. 169.
Et alterum diploma confici jubet. I. 170.

HENRICUS IV, Rex Galliæ, de Societate revocanda a Pontifice rogatur. IV. 1 et seq.
Re examinata Rex eam revocat. 4.
Eam in Senatu luculenta apologia defendit. 6.
Domos ejus promovet. 35.
Occiditur a scelesto Ravalliaco. 129.
Cor ejus Flexiam deportatum. Ibid.
HERBIPOLENSE Collegium. II. 178.
HERMANNI Coloniensis Antistitis impium tentamen ad hæresim introducendam. I. 73 et 74.
HIBERNIAM Societas ingreditur. I. 50 et seq.
